

CANCEL\*  
MARTIS B\*\*  
1718\*






IX. B. 6. 192.

57.

~~D. S. 11. 17.~~

~~XXVIII. 9. a~~





















- I. Boetii de iure naturali auct.
- II. Monastii de iure consuetudinis et observantiae.
- III. Cocceij de eo, quod iustum est in dubio s. de iennina proxi. iuris.
- IV. Krey. de iure summo iniuria summa.
- V. Kestredor impudencia non ma in paucula capita redi gerdu.
- VI. Bomer de interpretatione facienda contra eum qui clarus loquitur.
- VII. Boetii de obligatione forensi iuris diuini.
- VIII. Langede eo, quod observandum est circa interpretationem legum.
- IX. Joh. P. Huj. de usu inutilium in iure.
- X. Kestredor iux humanioris Codicis.
- XI. Bomer de Observantia Ecclesiastica.
- XII. Lechenberg Nomina legum iustam ab iniustis discernenda.
- XIII. Quae ratio de fine consulto hinc lege loquente.
- XIV. Bomer de scripturis non legitilibus non inlusulibz. Hiff.
- XV. Ludemig iuris Romani et Germanici differentias.
- XVI. H. de emendanda Germania finisraelentia.
- XVII. H. finisroman et Germanici differentiar occasione interpret.
- XVIII. Ciser de altera hinc by iureconsulto.
- XIX. Schaefer de Principiis rescriptis eorumque usu moderno.
- XX. Geuler de officio Joh. Peri.
- XXI. Imjebrecht de finisrudentia vasto ampliti et nomine Joh.
- XXII. Wildvoegel de Casibus non dabilibus.
- XXIII. H. ray de Constitutioibus Principum.
- XXIV. Rechtner de Solo in fraudem legum.
- XXV. Lucius de iure non scripto.
- XXVI. Strux. de falsitate praecipui Principi oblataria.
- XXVII. Cocceij de eo quod sit ipso iure.
- XXVIII. Cautus facti specimen impudencia obidie in cap. de pau h.



xxx. Monachi nonne unius scripto contentio.  
xxx. Reiter de iusticia cum distributio quam Computatio  
In portu oribz.  
xxx. Reiter de iusticia formulario Conuonit s. de Legiratio  
auibz.



I. N. I.  
DISPV TATIO IVRIDICA  
DE  
**OBSERVAN-  
TIA ECCLESIASTICA,**

*QVAM*  
DEO T. O. M. ADVVENTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBVR-  
GICO, DVCATVS MAGDEBVRGICI GVBER-  
NATORE, ET RELIQA,  
IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERIGIANA,  
PRAESIDE

**IVSTO HENNINGO Böhmer/ D.**  
PROF. P. ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE,

*d. 17. Octobr. MDCCVII.*  
IN AVDITORIO MAIORI  
Publico eruditorum examini submittit  
**IOANNES MATHAEVS DETHLOFF,**  
Rostoch. Mecklenburg.

---

Secunda editio correctior.

---

HALE MAGDEBVRGICAE,  
Typis IOHANNIS GRVNERI. Acad. Typogr.





DISPUTATIO  
DE  
OBSERVATIONE  
TIA FOCULI  
ASTIGAE

IN HONORE  
ACADEMIAE  
SACRAE  
THEOLOGICAE  
ALMAE MATRIS  
UNIVERSITATIS  
SACRAE THEOLOGICAE  
ALMAE MATRIS  
UNIVERSITATIS  
SACRAE THEOLOGICAE  
ALMAE MATRIS  
UNIVERSITATIS







DISSERTATIONIS  
De  
OBSERVANTIA ECCLESIASTICA,  
CAPVT I.  
DE  
NATVRA ET INDOLE OBSERVANTIAE  
ECCLESIASTICAE.

§. 1.



Elebre quidem, sed variis *Dissensus*  
eruditorum disceptationibus obno- *eruditorum*  
xium est Patrum Concilii Oecume- *circa e. 6.*  
nici primi, Nicæni scilicet, assertum *Concil. Ni-*  
in can. 6. vbi ajunt: *Antiqui mores ceni addu-*  
*seruentur* ( *τὰ ἀρχαῖα ἐν ὑπαρέξει* ) *citur.*  
quo ipso firmata est observantia Ec-  
clesiastica, quæ hæctenus in tribus  
Ecclesiis celeberrimis Antiochia, Alexandrina & Romana ob-  
tinuerat, imprimis ratione præminentia, & iurium inde flu-  
entium. Vt enim mores Ecclesiarum illarum eo tempore  
fatis cogniti esse potuerint, tamen postea multa iura, quæ  
aliunde a Romana Ecclesia deduci non poterant, exinde pe-  
tita esse constat, vt adeoque adhuc hodie ad hunc canonem  
tanquam ad sacram quandam anchoram in vtramque par-  
tem confugere soleant. Ecce enim, quidam sub hisce anti-  
quis moribus ibidem confirmatis quærunt iura Patriarchica,  
inter



inter quos imprimis nominandus est Illustrissimus Archi-  
 Episcopus Parisiensis Petrus de Marca in *egregio tract. de con-*  
*cord. sacerdot. & imper. lib. 1. cap. 3. §. 6. seqq.* & Leo Allatius de  
*Eccles. Occid. & Orient. perpetua consensione lib. 1. cap. 9. seqq.*  
 Sed Ioannes Launoius, Parisiensis Theologus, in *diss. de recta*  
*Niceni Canonis 6. intelligentia* in alia omnia iuit, & iura tan-  
 tum Metropolitana ibidem confirmari statuit, quorum etiam  
 collimant clarissimus Samuel Basnagius *Tom. 2. annal. ad ann.*  
*325. §. 42. seqq.* Caspar Zieglerus de *Episcopis lib. 1. cap. 5.* Io-  
 annes Schilter de *libert. Eccles. German. lib. 1. cap. 9.* Sed tamen  
 nec Launoii sententia intacta relinqui potuit, quia rursus in  
 examen revocata a Henr. Valesio in *dissert.* quam ad calcem  
 Socratis & Sozomeni coniecit. Alii itidem illos antiquos  
 mores in *diēt. can. 6.* notatos explicare aggressi sunt, quo-  
 rum potius nomina, quam sententiam referre lubet, scilicet  
 Ludouicus Ellies du Pin de *antiq. Eccles. disciplin. dissert. 1. §.*  
*vlt.* Edmundus Richerius Theologus Paris. de *histor. Concil.*  
*general. lib. 1. cap. 2. §. 11. seqq.* Salmasius de *Eccles. suburbica-*  
*riis*, & qui ei se opposuit Sirmondus in  *censura coniectura A-*  
*nonymi scriptoris de suburbie. region. & Eccles.* Ioannes Cabas-  
 lutius in *notit. Eccles. ad secul. IV. p. m. 11.* Anton. Pagi in  
*Crit. ad Annal. Baron. ad ann. 325. §. 34.* Schelstratius *antiq.*  
*illustr. P. 1. diss. 2.* Christoph Instell. in *biblioth. jur. Canon.*  
*antiq. ad. can. 6. p. m. 71.* Guilielmus Beveregius ad *can. 6.*  
*Concil. Nicen.* vt alios nunc taceam.

Causa eius-  
 modi dissen-  
 sionum,

§. II. Quod si causas huiusmodi dissensionum penitus  
 examinamus, variae quidem dari possunt, & imprimis studi-  
 um sectae non leue momentum hic facit, interim tamen sicuti  
 sectae vel partium studium facile potest denudari, si argu-  
 menta solidiora in contrarium adducantur, ita alia ratio quaerenda,  
 qui factum, ut haecenus saepe eruditi occasionem arripere  
 potuerint sub huiusmodi inuolucro studium partium eo  
 fortius promouendi? scilicet quia mores Ecclesiasticos  
 antiquos vel non recte intellexere vel intelligere secundum  
 statum temporum illorum recusauerunt, vt adeoque propter  
 defectum solidae historiae Ecclesiasticae notitiae quaeris cogi-  
 tata

tata



tata, & coniecturas superficialias sectæ suæ interuenientes adferre, & ita mores Ecclesiasticos ad suum beneplacitum modo huc, modo illic trahere potuerint. Quod si status Ecclesiarum tempore Concilii Nicæni accurate consideraretur, & absque præiudicio autoritatis ponderaretur, non difficile foret, mores illos antiquos circa primatum illarum Ecclesiarum eminentissimarum eruere, quod nunc quidem a meo instituto alienum esse duco.

§. III. Sicuti nunc mores ex factis deducuntur & trahuntur, & circa ipsa facta historica, vt dictum est, multæ sæpe difficultates occurrunt, ita non parum doctrinam de moribus Ecclesiasticis impedit, quod plurimi de illa sibi recte formare conceptum negligant, quiduis statim pro Observantia vendicantes, quod semel aut bis factum, & sæpe de facto tantum attentarum. In iure publico fere omne tert punctum obseruantia Imperii das Reichs herkommen, sed ipsi illi, qui nil nisi obseruantiam imperii in ore habent, sæpe ostendunt, se nequidem conceptum de obseruantia imperii solidum sibi formasse, ex qua inuersa methodo non possunt non plura ad obseruantiam imperii, quæ nil nisi facta mera sunt, vim iuris nullam habentia, referri, vt recte obseruauit Ericus Mauricius *de princip. Iur. publ. German. cap. 2. §. 42.* Certe sicuti ius publicum Germanicum pleraque ex obseruantis Imperii trahit, ita quoque qui vel primis tantum labiis iuris Ecclesiastici prudentiam tetigit, agnoscat in iure Ecclesiastico pleraque fere niti ecclesiastica constanti obseruantia, ad quam proinde toties in ecclesiasticis controuersis recurritur, cum in plerisque ordinationibus ecclesiasticis quoque ad illas prouocetur. Sunt quidem in singulis ecclesiis scriptæ ordinationes ecclesiasticæ, sed illæ ipsæ vel ex moribus tractæ sunt, & ideo ex illis interpretationem suam accipiunt, vel multa indefinita reliquerunt, & secundum obseruantiam ecclesiasticam illa determinanda esse voluerunt. Multum itaque iuuabit, doctrinam *de Obseruantia ecclesiastica* penitus excutere, quod præsentî dissertatione pro viribus præstare conabor, vt exinde constare queat, vnde obseruantia ecclesiasticæ ratio recte colligi possit, §. IV.

*Doctrina de  
obseruantia  
Ecclesiastica  
vtilitas.*



6  
*Distinctio  
 iuris scripti  
 & nonscripti  
 applicatur  
 ad Ius Ecce-  
 siasticum.*

§. IV. Nota est distinctio iuris priuati in ius scriptum & non scriptum, quæ sicuti ad ius priuatum non restringi potest, sed etiam iuri publico recte applicatur, ita etiam in iure Ecclesiastico suam inuenire debet vsum, cum ad iura quæuis humana pertineat. Obseruauit id ipsum Basilius in *can. 5. d. 11.* cuius verba, cum satis rem declarant, integra referre lubet: *Ecclesiasticarum*, inquit, *instituitionum quasdam scripturis, quasdam vero Apostolica traditione per successiones in ministerio confirmatas accepimus: quasdam vero consuetudine roboratas approbavit vsus, quibus par ritus & idem virisque pietatis debetur affectus, unde quis vel aliquantulum experius scripturarum hæsitauerit? Si enim attentauerimus consuetudines Ecclesie, non per scripturas a Patribus traditas nihil astimare, quantum religio detrimenti sit latura, intente inspicientibus liquido constabit. Quæ enim (vt inde ordiamur) scriptura salutifera crucis signaculo fideles docuit insignari? vel quæ trifariam digesta super panem & calicem proluxæ orationis, vel consecrationis verba commendauit? Nam non modo, quod in Euangelio continetur, vel ab Apostolo insertum est, in secretis dicimus: sed & alia plura adiuicimus, magnam quasi vim commendantia mysteriis. Quæ orientem versus nos orare licet arum forma docuit? Benedicimus fontem baptismatis oleo vntionis. Hic accedit, quod ter oleo inungimus, quos baptizamus, verbis abrenuntiare satana, & Angelis ejus informamus. Vnde hæc, & alia in hunc modum non pauca, nisi quia tacita & mystica traditione a Patribus Ecclesiastico more, reuerentiori diligentia sunt in mysteriis obseruata silentio, quam publicata scripto? Apparet itaque ex hoc loco Basilius tres species inter se distinguere (1.) Constitutiones Ecclesiasticas scriptas, (2.) traditas, (3.) consuetudines roboratas, quæ duæ posteriores species ad ius non scriptum referri debent.*

*Origo huius  
 distinctionis  
 in Iure Ec-  
 clesiastico est  
 eadem que  
 in Rebus pu-  
 blicis aliis.*

§. V. Si originem huius distinctionis paulo accuratius euoluimus, constabit, eandem hic quoque esse allegandam, quæ in Rebus publicis leges scriptas & non scriptas introduxit, de qua plenius erudite diserit Dn. Thomasius de *contentione morum cum iure scripto §. 6. seqq.* Res huc redit, mores in singulis Rebus publicis esse antiquiores legibus scriptis, quæ ferius



serius solent constitui, quando corruptio grauior occupat Rempublicam. Quandiu homines in simplici vita subsistunt, tunc ad exemplum antiquorum Germanorum plus apud eos valent boni mores, quam apud alios scriptæ leges, & cum prima Rerumpublicarum origo simplex fuerit, secundum mores & obseruantiam iudicatum fuisse probabile est. Ast postquam exiit aequalitas, ac pro modestia & pudore ambitio & vis homines incensit, vt ait, Tacitus lib. 3. *Annal. c. 26.* necessitas tandem genus humanum ad leges scribendas coegit, postquam moribus antiquis vniuersi viuere haut videbatur statui corrupto conueniens, ceu pluribus Dn. Thomasius *loc. cit.* docuit. Quod si hæc doctrina ad statum Ecclesiæ primitiue incorruptum applicatur, historię Ecclesiasticæ fides itidem confirmat, paucissima instituta Ecclesiastica fuisse scripta, sed pleraque moribus antiquissimis deberi, & ad obseruantias Ecclesiasticas referenda esse. Equidem monuit Paulus omnia in Ecclesiis ordine & decem esse peragenda, sed illa ipsa cum arbitraria sint, ita non per scriptum aliquod placitum ab initio constituta esse videntur, sed singularum Ecclesiarum praxis tandem peperit constantem aliquam obseruantiam, quæ postea per modum legis obseruari cœpit, prout obseruat Hieronymus *tom. 2. adv. Lucif. p. 139. edit. Basl.* vbi ait; *multa per traditionem in ecclesiis obseruari, quæ auctoritatem scriptæ legis usurpauerint veluti in lauacro ter caput mergitare*: Respexit huc etiam Antonius Valtelina in Concilio Tridentino, vbi ita disseruit: *ex historiis clarum est, singulas ecclesias antiquitus habuisse peculiarem suam de missa rituales consuetudine magis de die in diem, quam iudicio aut constitutione introduclum.* Addit deinceps, *minores ecclesias sese ad Metropolitanas aut vicinas maiores conformasse, & ita quoque instituta Romanæ ecclesiæ apud plures recepta fuisse.* vid. Petrus Suavis in *histor. Concil. Trident. lib. 6. p. 498. seqq.*

§. IV. Equidem non ignoro, plura passim circumferri spuria instituta ecclesiastica scripta, quæ vel ad Apostolica tempora, *aut scripta* vel proxime post illa referuntur, vt sunt *canones Apostolici, primitiua & constitutiones*, quæ vulgo Clementi adscribuntur, in quibus Ecclesiæ re-  
pluri-  
iiciuntur.



plurima circa ritus & negotia ecclesiastica determinata leguntur. Verum apud eruditos iam conclamatum est, hæc duo systemata falsæ antiquitatis notam habere, nec ad tempora status purioris ecclesiæ referri posse, sed potius eo tempore confarcinata esse, quo res ecclesiæ inclinari, & variis scriptis legibus inuolui cœpit, vt solide euicit Ioh. Dallæus in *Pseudepigraphis Apost.* libris conf. Gabriel Albaspineus de *ueteribus ritibus Ecclesiasticis* lib. 1. Obs. 13. Gerhard. Mastricht in *hisor. iuris ecclesiast.* num. 105. seqq. Ludouicus Ellies du Pin in *Biblioth. Auctor. eccles.* tom. 1. pag. 21. seqq. Multo minus Pseudo-Dionysius Areopagita, quem discipulum Pauli fuisse tradunt, ad hæc tempora referri potest, qui in libris de *ecclesiastica Hierarchia* multa instituta scripta refert primitiuis ecclesiæ temporibus minime congrua, vid. Ioh. Dallæus de *scriptis Dionysii Areopagita.* Prælaudatus du Pin *cit. loc.* pag. 51. seqq. Samuel Basnagius in *Annal.* tom. 1. ad ann. 51. §. 61. ubi docet sexto demum sæculo hæc Areopagitica emerfisse. Quicquid sit, certum est, ad tempora purioris ecclesiæ illa minime referri posse.

Post corruptionem  
Ecclesiæ sola  
obseruantia  
regi deserunt.

§. VII. Verum non diu stetit hic purior & simplicior ecclesiarum status, sed mox post Apostolicum discessum alia ecclesiarum facies introducta, variis inquinata corruptionibus, atque adeo non mirandum, si ab ejusmodi obseruantis ecclesiasticis non scriptis recessum fuerit, & paulisper ad varias constitutiones scriptas concinnandas animi Episcoporum intenti esse cœperint. Ne vero frustra corruptionem hanc fingere videar, audiamus Eusebium lib. 3. *hisor. eccles.* cap. 26. vbi ita ait; *ecclesia integra & incorrupta permanserat, at postquam sacer Apostolorum chorus varium vite exitum & diuersa mortis tempora pertulerat, tunc certe falsa & veteratoria impii erroris conspiratio exordium cepit, idque illorum fraude & astutia, qui doctrinam a veritate penitus alienam disseminare laborarent: quique cum nemini Apostolorum vita suppeteret, iam nudo capite sincero veritatis sermoni falsam & commentitiâ doctrinam ex aduerso opponere pro viribus niterentur.* Antea amore fraternali inter Cristianos omnia peragebantur, neque adeo de rebus



rebus arbitrariis, de quibus leges in ecclesiasticis sunt, concertationes metuendae erant, sed quaelibet ecclesia propriis suis moribus vivebat. Sed postquam itidem inter Christianos exui aequalitas & ambitio episcoporum animos occupare coepit, prouenere, ut Tacitus loquitur *cit. loc.* dominationes & dissensionibus, ad quas tollendas tandem necessum fuit, expressis sanctionibus negotia ecclesiastica determinare.

§. IX. Vno saltem hactenus dicta declarabo exemplo. *Declaratur id ipsum exemplo de tempore celebrandi Paschatos.* Iam seculo secundo grauis exurgebat concertatio inter Victorem episcopum Romanum, & Orientis episcopos de tempore celebrandi Paschatos. Ille praeracte contendebat, non idem tempus cum Iudaeis obseruandum esse, quod tamen Episcopis Orientis in more positum erat. Certe usque ad haec tempora ecclesiae orientales & occidentales hisce diuersis moribus inter se pacifice vixerant, nec quisquam eo nomine alteri controuersiam mouerat, uti Irenaeus Victori id ipsum opponit in epistola ad eum scripta, relata ab Eusebio *lib. 5. histor. Eccles. c. 24.* ubi ait: *Presbyteri illi, qui ante Socerem Ecclesiam, cui tu nunc praes, gubernarunt, Anicetum & Pium & Hyginum cum Telesphoro & Xysto neque ipsi unquam obseruarunt, neque his qui cum ipsis erant, ut id obseruarent, permisissent. Ipsi tamen cum hoc minime obseruarent, pacem nihilominus celebrarunt cum iis, qui ad se venissent ex ecclesiis, quibus id obseruabatur.* Sed inquietus & ambitiosus Victor motus mox concitabat de his rebus indifferentibus, & nitebatur traditione quadam Apostolica seu iure non scripto: contra orientis Episcopi pro se allegabant *perpetuam obseruantiam* a temporibus Ioannis Apostoli deductam, Eusebius *lib. 5. H. E. cap. 24.* & sic vterque in effectu prouocabat ad obseruantiam ecclesiasticam. Interim Victor contra regulas iusti pretendebat, ut Asiae minoris Episcopi se accommodarent ad obseruantiam ecclesiae Romanae, cum tamen singulae ecclesiae propriis suis institutis & moribus viverent. Cum itaque Victor Episcopis dissentientibus eo nomine communionem denegaret, bene ait Eusebius *cit. loc.* *Victorem non debuisse propter obseruationem traditionis ex antiqua consuetudine ecclesias Dei amputare*



*putare, h. e. consuetudines ecclesiarum occidentalium non præbuisse Victori ius propter consuetudinem diuersam in rebus arbitrariis, quæ certas leges non habent, vnitatem Ecclesiarum dissoluendi, præsertim cum, quæ obseruantia ecclesiastica præualere debeat, determinari non possit. Prudenter factis de hac controuersia iudicat Socrates lib. 5. Hist. Eccles. cap. 22. aiens: quarta decimam obseruantiam quartæ decimæ a Ioanne Apostolo traditam ipsis esse dicunt: Romani vero & Occidentales suarum ecclesiarum consuetudinem ab Apostolis Petro & Paulo datam esse asserunt. Verum neutra pars demonstrationem aliquam hac de re scripto traditam proponere potest.* Non itaque peccarunt litigantes in eo, quod se in obseruantia ecclesiastica fundaverint, hanc enim iuste orientales opponebant Victori & eius affeclis; sed in modo probandi obseruantiam, quam per traditionem ab Apostolis deducere frustra allaborabant. Hæc contentio dedit postea anam, vt in concilio Nicæno tempus Paschatos determinari debuerit, sicuti etiam multa alia, quæ hæctenus obseruantia sola nitebantur, postmodum in conciliis determinari & scribi cœperunt, vt lites desuper ortæ eo facilius sopirentur. Plerumque enim maioribus ecclesiis præpositi alias minores ecclesias ad suæ ecclesiæ obseruantiam trahere conabantur, quæ tamen moribus antiquissimis tenaciter inhærebant. Huc collimat Necephorus lib. 12. histor. Eccles. cap. 43. vbi ait: *Tales dissensiones in ecclesiis inualuisse opinor reuerentia eorum, qui eis ab initio præfuerunt, & qui illis deinde successerunt. Nam in leges quasdam ab illis acceptas per manus posteris tradiderunt, non satis pium neque ferendum arbitrari, si traditiones, in quibus educati essent, non honorifice colerent, sed contemtim reuicerent.*

*Obseruantia tamen Ecclesiastica post canones scriptos introductos semper vigere.*

§. IX. Ab eo itaque tempore, quo dissensiones ortæ sunt, concilia plura coacta leguntur, & in illis plura circa negotia ecclesiastica determinata sunt. Interim tamen usus obseruantie ecclesiasticæ incorruptus in multis manfit, quin cum sæpe de illa disputaretur, per concilia confirmari cœpit, quemadmodum antiqui mores circa primatum trium eminentissimarum ecclesiarum in Concilio confirmati sunt,



vt §. I. monitum. Quin quod deinde obseruantiae & mores ecclesiarum passim ab illis, qui historiam ecclesiasticam scripsere, vt & Patribus in scriptis referri, & in multis controuersis pro rationibus decidendi adduci cæperint, vt adeoque, origine obseruantiarum detecta, nunc de natura earum videndum sit,

§. X. Dicitum est superius obseruantiam ecclesiasticam *Ius Ecclesi-* ad ius non scriptum referri. Ergo potissimum duo euol-*asticum quid* uenda (1) quomodo absque scriptura ius concipi possit (2) *sit.* quam iuris virtutem talis obseruantia habeat? Videlicet ius ecclesiasticum hic denotat *normam aliquam, secundum quam in rebus ecclesiasticis agi, procedi & iudicari debeat, vt ordine & decenter omnia agantur.* Illa norma si ab imperante negotiis ecclesiasticis præscribatur, lex proprie dicta dicitur, quia ita ab imperante procedit: si vero in collegio quodam per commune beneplacitum, seu pactum constituatur, lex quidem proprie non est in sua constitutione; lex enim ab imperante procedit, habet tamen effectus legis & ita vt plurimum is collegii illius constituit. Simili ratione cum ecclesiae collegium aliquod repræsentent, hac duplici ratione ius ecclesiasticum constitui potest, vel ab imperante, quorum pertinent leges post tempora Constantini M. negotiis ecclesiasticis præscriptæ; vel ab ipsa ecclesia, quæ ex iure omnibus collegiis approbatis competente per pactum negotia ecclesiastica adornare, & normam quandam introducere potest, secundum quam in posterum agatur & uiuatur. Et quia ab initio hæc norma ex libera voluntate ab ecclesiis accipiebatur, eleganter *canonis* non *legis* nomine venire solebat, quæ tamen effectus legis habebat de hac libertate primæua ecclesiarum plenius egit Dn. præf. *in differ. iur. eccles. antiq. ad Plinium secund. diff. III.*

§. XI. Hæc norma agendi dependet, vt dictum est, ex *Scriptura* voluntate eorum, qui ius normam talem introducendi ha- *non pertinet* bent, quæ sunt vel superior vel pacifcentes seu membra *ad essentiam* collegii inter se. Ex quo statim fluit, scripturam per se ne *iuris.* que ad legem neque ad pacti vigorem pertinere, sed tantum esse medium probandi, & securitatis gratia accedere solere. Non dubium est, quin pacta & leges humanæ ante usum scri-



scripturæ introductum obtinuerint, quæ æqualem vim habuerunt, ac quidem hodie, postquam communiter scribuntur. Nam etiam ratio alia conseruandi leges adest, uti olim obtinebat per *canilenas*, quemadmodum Germanij olim suas leges ita conseruasse leguntur. vid. Tacit. *de moribus German. ab init*: Apud Iudæos de manu in manum parentes liberis mores, ritus & obseruantias suas tradebant, vt perpetua & constanti memoria conseruarentur.

*Ex voluntate vel expressa vel tacita leges pendens.*

§. XII. Sicuti vero voluntas declaratur vel verbis vel factis, ita quoque idem de legibus & pactis collegiorum dici debere autumo. Potissimum vero in pactis contingit, vt etiam tacite constituantur, vt ex iure constat. Facta enim in moralibus eandem vim exprimendi consensum ac quidem verba habent, si scilicet concludentia seu talia sunt, ex quibus communiter inter homines eiusmodi interpretatio capi solet. In eo enim iudice Puffendorffio *de I. Nat. G. lib. 3. cap. 6. §. 2. consistit natura pacti, quando consensus non per eiusmodi signa, qua regulariter in commercio hominum recepta sunt, exprimitur, sed quando idem ex natura negotij aliisque circumstantiis liquido colligitur, vid. l. 24. ff. de prob. l. 2. ff. de pact.* Et quamvis signa hæc quandoque fallere possint, in verbis tamen idem contingere potest, atque adeo sufficit, si communiter ex huiusmodi factis hominum hoc vel illud colligi possit. *Neque enim, ait H. Grotius de I. belli & pacis lib. 2. cap. 4. §. 3. patitur natura humane societatis, vt actibus animi sufficienter indicatis nulla sit efficacia.* Atque adeo non dubium, quin etiam collegium quoddam facto ipso suum consensum edere & declarare queat, prout ICTus neruose ait in *l. 32. §. 1. ff. de LL. quid interest, suffragio* ( seu pacto publico in comitis, per quod leges in statu populari fiebant *l. 2. ff. de LL.* ) *populus voluntatem suam declarat, an rebus ipsis seu factis, ex quibus tacitus colligitur populi consensus, unde etiam in sequentibus defuerudinem ex tacito consensu deducit.*

*Obseruantia ex voluntate eorum, qui*

§. XIII. Quod si itaque obseruantia ecclesiastica speciem iuris non scripti referre debet, vti refert omnino, sine dubio quoque vel ex voluntate imperantis, vel eorum, qui ecclesiam constituunt, deduci debet, Quando ergo quæ eccle-



ritur de collegii alicuius obseruantia, potissimum ad mores <sup>ius consti-</sup>  
 agentium in collegio intentio dirigitur, & inde, obseruantia <sup>uum fuit,</sup>  
 ecclesiastica ex consensu eorum, qui in eadem ecclesia vi-  
 vunt, efficaciam suam sine dubio deducere debet, sicuti ce-  
 tera normæ & canones scripti ab initio suam vim inde de-  
 duxerunt. Sed in eo maior difficultas occurrere videtur,  
 an obseruantia tantum nitatur consensu tacito, an vero etiam  
 expresso eorum, qui aliquid antiquitus constituerunt? Noui  
 plerosque in obseruantia imperii tantum supponere pactum  
 tacitum. At hic conceptus rem non exhaurit, vnde potius ex-  
 istimo, obseruantiam tam ex consensu expresso, quam taci-  
 to constitui. Est enim meo iudicio obseruantia ecclesiasti-  
 ca nihil aliud, quam *modus conseruandi illud, quod expresso vel*  
*sacito pacto placuit, circa negotia ecclesiastica,* & etenus ad ius <sup>Quid sit ob-</sup>  
 non scriptum refertur. <sup>seruantia</sup> *Quemadmodum enim in iure scri-*  
*ptura est medium, illud quod pro norma constitutum*  
*est, conseruandi, ita ius non scriptum ecclesiasticum non*  
*aliter conseruari potest, quam memoria & praxi ipsa, quæ*  
*obseruantia ecclesiastica nomine venit.* Non improbable fa-  
 ne est, plura in nascente ecclesia ad decorum & ordinem  
 ecclesiasticum esse expresso pacto constituta, neutiquam ve-  
 ro in solennem redacta scripturam, sed potius praxi ipsa  
 constanti & continuata conseruata, quemadmodum apud  
 priscos Germanos, quæ expresse constituebantur in gente  
 quadam, haud scribebantur, cum usus scripturæ & literarum  
 ferius apud eos excoli cœperit: interim praxi ipsa & obser-  
 uantia satis approbantur, & ad posteros traducebantur.  
 Quin ne quidem prætea, quæ in comitiis sunt constituta,  
 æque diligenter in chartam relata esse, conqueritur Couring.  
*de Orig. ius Germ. p. 65.* Breuiter: Obseruantia non recte di-  
 citur ius ipsum, sed potius est *testimonium de iure iam ante vel*  
*expresse vel tacite constituto,* & idem operatur in iure non  
 scripto, quod scriptura in scripto.

§. XIV. Primo itaque videndum, quomodo obseruan-  
 tia ecclesiastica de statutis ecclesiasticis expresso pacto robo-  
 ratis testetur, & deinceps quomodo illa approbet, quæ ta-  
 cito pacto in ecclesiis introducta sunt. <sup>Declarantur</sup>  
 Egregie Basilius in <sup>in genere</sup>  
 c. 5.



c. 5. d. II. supra iam relatus hoc ostendit, ubi ait, præter constitutiones ecclesiasticas scriptas quasdam apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas ecclesias accepisse quasdam vero consuetudine roboratas usum approbasse. Quæ itaque expresse constituta sunt, per traditionem in perpetuam obseruantiam esse traducta asserit; quæ autem consuetudine seu tacito consensu approbata sunt, ipso usu seu obseruantia conseruata esse. Vtrobique itaque obseruantia seu praxis constans concurret, quia sola traditio absque obseruantia esset nuda relatio historica, sicuti quod pacto tacito placuit, sine vsu subsequente robur suum amittere deberet.

*Traditionis  
natura euol-  
uitur.*

§. XV. Quod obseruantiam ecclesiasticam circa tradita iura & statuta concernit, facile constat, traditionis naturam potissimum in eo consistere, vt per hanc perpetuam relationem apud posteros conseruetur memoria instituti alicujus antiquissimi de manu in manum quasi ad posteros deriuati, adeoque non tam inducit ius nouum, sed ius antiquum præsupponit, quod ita conseruat & sic instar *testimonij historici* est de antiquo quodam instituto, & hoc intuitu fidem aliquam historicam i. e. probabilem operatur. conf. Engel. in *colleg. iur. can. ad tit. de consuetud. n. 2.* Opponitur itaque hoc sensu *scripturæ*, quemadmodum Tertullianus de *corona militis cap. 3.* huc quoque respexit aiens: *si legem postulas scripturam nullam inuenies; traditio tibi prætenditur auctrix.* Idem præterea *cit. l. c. 2.* notanter ait: *Ergo queramus, an & traditio nisi scripta non debeat recipi. Plane negabimus recipendam, si nulla exempla præiudicanti aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento, solum traditionis titulo & exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.* Aperte hic Tertullianus docet obseruantias eiusmodi niti traditionis titulo, & exinde præsumptionem veritatis fortiri, seu habere fidem historicam. Antequam ratio scribendi cognita esset, quam plerique ad tempora Mosis reiciunt, instituta & facta antiqua per traditiones conseruanda erant, imo vt sæpius iam dictum, cum apud Germanos paulo serius leges & facta scripturæ mandari cœperunt, non alia conseruandi harum rerum memori-



moriam potuit esse ratio, quam per traditionem, ex quo etiam factum, ut tam paucissimæ leges statum publicum concernentes scriptæ reperiantur, sed maxima pars earum ex antiqua obseruantia deducenda sit, quemadmodum in *A. B.* non raro ad illas prouocatur. Sic enim in *cap. 28. §. 6.* conceptis dicitur verbis: *inuenimus etiam ex clarissimis relationibus & traditionibus antiquorum, illud a tempore, cuius contrariam non habetur memoria, per eos, qui nos præcesserunt feliciter, esse iugiter obseruatum &c.* id quod *Io. Georg. de Kulpis* differt. de obseruantia imperiali plenius illustrat.

§. XVI. Illud ipsum quoque in ecclesiastica obseruantia deprehendi, multa sane testimonia scriptorum ecclesiasticorum demonstrant, qui pro obseruantia ecclesiastica fundamento adstruendo communiter prouocare solent ad aliquam antiquam traditionem. Prodeat *Socrates* qui *lib. 5. Hist. Eccl.* *cap. 21.* ita loquitur: *de synaxi varia consuetudines sunt. Nam quamquam omnes ubique in orbe terrarum ecclesia singulis septimanis uertentibus die sabbati mysteria celebrent, Alexandrini tamen & Romani ex antiqua traditione illud facere ueniunt.* Fundabant itaque Romani & Alexandrini suam obseruantiam ecclesiasticam circa synaxin in antiqua traditione, quasi antiquo instituto id semel ita constitutum esset. conf. idem *lib. 5. cap. 22.* Porro *Nicephorus lib. 12. H. E. cap. 43.* fatetur, quod successores in officio sacro ritus, & quæ ad liturgica pertinent, tanquam leges quasdam ab antecessoribus acceptas, per manus posteris tradiderint, *non satis pium neque ferendum esse ar. irantes, si traditiones, in quibus educati essent, non honorifice colerent, sed contemtim reuicerent.* *Innocentius I. in epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum §. 4.* omni sabbatho ieiunandum esse ait, quod Apostoli illa die ieiunauerint, *ut traditio ecclesia habet, & in epist. ad Vitricium Episcopum Rothomagensis formam, quam Romana ecclesia tenet, seruandam esse adhortatur, cuius obseruantia non aliud fundamentum allegare potest, quam quod Apostolica & patrum traditio sit constituta.* Expresius de traditionum huiusmodi efficacia & fide *Hieronymus aduers. Lucifer.* loquitur aiens: *An nescis*



nescis etiam hunc esse ecclesie morem, ut baptizatis postea manus imponatur, & ita inuocetur Spiritus S. ? Hæc erat obseruantia ecclesiastica. Iam de fundamento eius sollicitus est, dum pergat: Exigis ubi scriptum sit? In actibus Apostolorum. Etiam si scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa, quæ per traditionem in ecclesia obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpauerunt, veluti in lauacro ter mergitare.

*Vnde olim  
Apostolica  
traditiones  
iudicaban-  
tur.*

§. XVII. Imprimis autem, quæ per omnes ecclesias æqualiter obseruabantur, & tamen per præceptum scriptum non reperiabantur disposita, per traditionem ab Apostolico instituto promanasse credebantur, quæ de re Augustinus passim loquitur. Sic enim l. 4. de Baptismo cap. 24. hanc regulam, quam illustrissimus Petrus de Marca de concord. sacerdot. & imper. lib. 6. cap. 1. §. 7. in fin. grauissime commendat, fundamenti loco ponit. Quod vniuersa tenet ecclesia nec conciliis institutum, sed semper recentum est, non nisi auctoritate Apostolica institutum rectissime creditur. Idem inculcat Augustinus lib. 2. de baptismo c. 7. aiens: quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem sicut multa non inueniuntur in libris eorum, neque in conciliis posteriorum & tamen quia per universam ecclesiam creduntur, non nisi ab ipsis eradita & commendata creduntur. Atque hoc intuitu imperatores in l. 2. Cod. Theod. de Sancti. Baptisma iter. ita disponunt: Nihil aliud præcipi volumus, quam quod Euangeliorum & Apostolorum fides & traditio incorrupta seruet.

*Traditiones  
fidem pro-  
babilem seu  
historicam  
habent.*

§. XVIII. Equidem non ignoro, quæ traditionibus a nostratibus obiici soleant, de quibus videri potest Samuel Basnagius in Annal. tom. 2. diss. 9. p. 541. seqq. Illud tamen quod a plerisque nostratium adsumitur, merito adiciendum esse existimaui traditionibus non aliam vim quam aliquam fidem historicam adscribi posse, id quod etiam Theologi imprimis in ritibus ecclesiasticis admittunt. vid. Hildebrandus de ritibus sacris §. 14. Dico aliquam, nam probabilitas sæpe admodum leuis est, quæ ex illis deducitur, cum teste experientia per traditiones infinitæ fabulæ & imposturæ homini.



minibus impositæ sint, quibus creduli misere decepti sunt. Atque adeo aliqua fides hætenus traditionibus adscribi potest, quatenus verosimilitudine quadam nituntur, uti relationes historicae, cuius vicem subeunt, neque circumstantiæ temporum aliud suadent. Verum fortiori adducta verosimilitudine facile possunt dilui & conuelli. Sic cum ex actis Apostolorum & epistolis Apostolicis aliisque documentis constat, tempore Apostolorum in primitiua ecclesia ritus admodum simplices & paucos obseruatos fuisse, neque in his Apostolos Christianis absolutam voluisse imponere necessitatem, sed ratione ordinis nonnulla quidem adornasse, non vero inter se hac de re præcise contulisse, ut necessario vbique iidem ritus obseruarentur, interim tamen omnia composuisse ad studium pietatis sanæ, exinde facile colligi potest, quam incongrue tot ritus, de quorum institutione certo non constat, ab Apostolorum temporibus deducantur. Docent Historiæ, inprimis Pontifices Romanos hac ratione ceteras ecclesias ad rituum Romanæ ecclesiæ conformitatem adducere voluisse, ex hoc unico fundamento, quod princeps Apostolorum Petrus ita faciendum esse iusserit, atque hoc ipsum per traditionem ita semper creditum fuerit, quibus tamen sæpe aliæ ecclesiæ contradixerunt, & se iidem in Apostolica traditione fundarunt, uti supra ex lite Victoris cum Asiæ minoris Episcopis illustratum est. Vrit id ipsum Innocentius in epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, quæ pro parte etiam relata est in c. u. d. u. quæ omnia tamen verosimilitudinem nullam habent. Notauit hunc abusum ecclesiæ Romanæ Episcoporum Firmilianus in *Sententia* epist. 75. ad Cyprianum, ubi de Stephani Romani facta edisserit Firmiliani aiens: *Eos autem, qui Rome sunt, non ea in omnibus obseruare, de traditione que sint ab origine tradita & frustra Apostolorum auctoritatem prærendere, scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies Pascha, & circa alia multa diuina rei sacramenta, videat apud illos esse aliquas diuersitates, nec obseruari illic omnia equaliter, quæ Hierosolymis obseruantur. Secundum quod in ceteris quoque plurimis prouinciis, multa pro locorum & nominum diuersitate variantur;*

*Abusus traditionum.*



*Judicium  
Augustini.*

*tur; nec tamen propter hoc ab ecclesia catholica pace atque vni-  
te aliquando discessum est.* Animaduertit vero iam suo tem-  
pore Augustinus, plane inconueniens esse, ex huiusmodi  
traditionibus Apostolicis, quas sibi sæpe ecclesiæ fingere so-  
lebant, controuersias circa liturgias vel disciplinam ecclesia-  
sticam definire velle. Disputabatur an Sabbatho ieiunan-  
dum esset nec ne? Romæ ieiunium ex Apostolica traditione  
deducebatur; sed reliquæ ecclesiæ contrarium obseruabant,  
quibus itidem non deerant suæ traditiones, vt vocabant, A-  
postolicæ De huiusmodi concertationibus ita iudicauit  
Augustinus in *epist. 86. ad Casolanum.* *Quod si responderetur, hoc  
docuisse Iacobum Hierosolymis, Ephesi Ioannem, ceterosque aliis lo-  
cis, quod Romæ docuit Petrus i. e. vt Sabbatho ieiunetur, sed ab hac  
doctrina ceteras terras deuinasse, atque in ea Romam stetissi, & e  
contrario refertur, occidentis potius aliqua loca, in quibus Roma  
est, non seruasse, quod Apostoli tradiderunt; Orientis vero terras,  
vnde cepit Euangelium predicari in eo, quod ab omnibus simul cum  
ipso Petro Apostolis traditum est, ne Sabbatho ieiunetur, sine aliqua  
varietate mansisse, interminabilis est ista contentio generans lites,  
non finiens questiones.* Et tamen ipse Augustinus incaute in  
eiusmodi traditionibus refugium quærit, quando alia proba-  
tio ipsi deficit.

*Traditiones  
tantum ge-  
neraliter de  
aliquo insti-  
tuto fidem  
faciunt, non  
semper spe-  
cialiter.*

§. XIX. Quæ cum ita sint, lubrico sane fundamento ob-  
seruantia ecclesiasticæ niti videntur, atque adeo vim iuris  
vix producere possunt. Verum suspendenda adhuc pauli-  
per hæc conclusio est, & potius videndum, quæ præcautio-  
nes circa hanc doctrinam sint adhibendæ. Dixi (1) tradi-  
tiones fidem facere de aliquo antiquo instituto in genere,  
licet a quo illud institutum promanet, ignotum & incertum  
sit, cum interim constans obseruanti vtique adhuc illam  
præsumptionem operetur, a maioribus hoc ita esse institu-  
tum, debet enim obseruantia aliquam originem habere. A-  
busus qui §. *antec.* notati sunt, potissimum inde depende-  
bant, quod traditiones suas præcise ab Apostolis deriuare, &  
inde ceteras ecclesiâs ad suam obseruantiam trahere nite-  
bantur, de quo Apostolico instituto traditiones fidem facere  
non



non poterant, præsertim cum id ipsum per se satis impro-  
 babile erat. Neque enim vllibi vestigia existunt, vel Petrum  
 Romæ vel Apostolos ceteros alibi eiusmodi ad liturgica vel  
 disciplinam ecclesiasticam spectantia per modum legis eccle-  
 siis imposuisse, quæ tamen postea ab eis deducebantur. Præ-  
 clare id ipsa obseruauit Socrates *lib. 3. H. E. cap. 22.* vbi  
 post initium hæc habet: *Nusquam igitur Apostolus, nec ipsa*  
*Euangelia, iugum seruitutis illis imponunt, qui ad predicationem*  
*accedunt, sed Paschatis festum & alios dies festos ipsi homines suis*  
*quisque locis propter remissionem laborum, & memoriam salutife-*  
*ræ passionis sicuti voluerunt, ex consuetudine quadam celebrarunt.*  
*Neque seruato hoc aut Apostoli nobis lege aliqua obseruandum esse*  
*mandarunt, neque pœnam nobis aut supplicium Euangelium vel A-*  
*postoli, sicut Iudeis lex Moysi comminatur, sed historico tantum mo-*  
*do ad reprehensionem Iudaorum, quod homicidium die us festis ex-*  
*ercuerint, & quod Christus tempore Azymorum passus sit, conscri-*  
*ptum est in Euangeliis. Erat igitur scopus Apostolis, non de festis*  
*diebus sancire, sed rectam vitam ac pietatem inducere. Mibi au-*  
*tem videtur, quod quemadmodum ALIA MVLTÀ SINGVLIS*  
*LOCIS IN CONSVETVDINEM ABLERVNT, ad eum modum*  
*& Paschatis festum, propterea quod nemo Apostolorum, si ut dixi,*  
*quicquam de illo sanciuir. Quod vero EX CONSVETVDINE*  
*magis, quam EX LEGE aliqua inde ab antiquo apud singulos ob-*  
*seruari cœperit, res ipsa declarat. Instituta itaque diuersarum*  
*ecclesiarum non scripta, & per obseruantiam constantem sta-*  
*bilita a maioribus introducta esse potuerunt, quod etiam præ-*  
*sumendum, licet ad tempora Apostolorum non pertingant,*  
*& ita traditiones non in totum falsæ, sed pro parte tantum*  
*erant.*

§. XX. Porro (II) quæ hætenus per longam obseruan-  
 tiam obtinuerunt, & de quibus simul per communem opinio-  
 nem constat, quod per traditionem a Maioribus de manu in  
 manum in successores sint deriuata, habent præsumptionem  
 pro se veritatis, & fidem operantur historicam, donec pro-  
 betur contrarium. Nam & relationes historicæ nil nisi fi-  
 dem aliquam seu probabilitatem generant, & possunt per  
 con-

*Traditiones*  
*faciunt præ-*  
*sumptionem*  
*antiqui insti-*  
*tuti, donec*  
*contrarium*  
*probetur.*



contrarias coniecturas elidi, eadem ratione ergo traditiones non scriptæ, quæ facta antiqua sola memoria & vſu ad poſteros tranſmiferunt, tortioribus argumentis de falſitate conuinci poſſunt. In Liturgicis rebus plura occurrunt, quæ de- mum tempore corruptæ eccleſiæ introducta ſunt, quæ ta- men a Pontificibus falſo a primis Apoſtolorum temporibus peruntur, hunc in finem, vt ſalim ſuam obſeruantiam eccle- ſiaſticam inde legitimare poſſint, quorum argumenta tamen facile eneruari poſſunt, ſi ſtatus primitiue eccleſiæ ſatis co- gnitus perſpectusque ſit. Illuſtriſſimus Petrus de Marca *lib. 6. de concord. ſacerd. & imper. cap. 1. ſ. 4. ſeqq.* vt & Beuere- gius in *Cod. can. lib. 2. cap. 5. n. 11. p. 229.* alique Hierarchiam & diuifionem eccleſiarum, adeoque primatum inſtitutio- nem ab Apoſtolis petunt, hinc porro contendunt epifcopos & metropolitanos a Presbyteris diſtinctos fuiſſe, quæ ſi vera ſunt, certe noſtrates male feciſſe videntur, quod ab hoc or- dine Apoſtolico reſceſſerint. Verum in *Concilio Nicæno c. VI.* hæc diſtinctio ſimpliciter antiquis moribus, non apoſtolico inſtituto adſcribitur, id quod ſine dubio factum fuiſſet, ſi a tali optimo principio origo huius diſciplinæ arceſſenda foret. Sed & plura alia argumenta ſunt, ex quibus falſitas hu- ius traditionis Apoſtolice euincitur, de quibus vid. Samuel Baſnage *tom. 1. Annal. ad ann. 40. ſ. 25. ſeqq.* Ludouicus El- lies du Pin in *antiq. Eccleſ. diſcipl. diſſ. 1. ſ. 6. ſeqq.* alia ſimilia exempla vt nunc intacta relinquam.

*Historia Ec-  
cleſiaſtica  
utilitas in  
ſtudio iuris  
eccleſiaſtici  
aſcenditur.*

§. XXI. Apparet exinde iura eccleſiaſtica & canonica, quæ quoad maximam partem ex antiqua praxi eccleſiarum & obſeruantia perpetua ad nos peruenere, abſque duce & luce hitorie eccleſiaſticae non recte intelligi & explicari poſſe. Sunt quidem obſeruantie ius non ſcriptum, ſcilicet ratione ſue conſtitutionis primæue, ſed tamen facta anti- qua ſupponunt, ex hitoris addiſcenda, & deinde ratione ſua conſtare debent, quæ non aliter inueſtigari poſſe, quam ope hitorie eccleſiaſticae. Sicuti enim lex ſcripta abſque ratione re vera ſenſum genuinum quem habet, operari in animo diſcentis nequit, ita multo minus de vero intellectu ob-



obſervantiæ eccleſiaſticæ idem dicendum eſt. Hinc fit vt ſæpe leges eccleſiaſticæ tam ſcriptæ quam non ſcriptæ perverte applicentur, quia ob defectum hiftoriæ rationes legum illarum latent, vel ineptæ & incertæ adducuntur, quæ tamen diſcentis animo, certitudinem ingenerare nequeunt. Vt enim de iure publico Germanico illuſt. Dn. Cocceius *in iur. publ. prudent.* ſtatim ab initio *in monitiis* §. 2. obſervat, quod in ceteris iuris diſciplinis ratio præſtat, id in iure publico Germaniæ hiftoriam præſtare, & ſubinde id ipſum his verbis illuſtrat: *Ius publicum Regiminis Germanici nulla olim lege comprehenſum non ab alio fere principio accerſitur, quam a longæva conſuetudine, que quid eſt, quam antiquitatis Germanicæ hiftoria?* ita eadem ratione de iure eccleſiaſtico id ipſum affirmare poſſum, ſcilicet in illo hiftoriam idem præſtare, quod in ceteris iuris diſciplinis ratio præſtat. Nam & hoc ius per tria priora ſæcula nulla fere lege ſcripta comprehenſum fuit, nec ab alio fere principio arceſſitur, quam a longæva obſervantia & conſuetudine, quæ quid aliud eſt quam antiquitatis eccleſiaſticæ hiftoria? Sunt quidem poſtmodum in conciliis plures canones conditi & ſcripti, ſed hi ipſi fere vnicè ex antiqua eccleſiarum praxi deprompti ſunt, vt non negem aliquando pluribus depravationibus pro ſtatu temporum corrupto illos infectos fuiſſe. Verum etiam in ipſo *Quid deſt-hiftoriæ eccleſiaſticæ ſtudio plerique minus recte verſatos derandum eſſe obſervo.* Qui enim illud excoluere, nimis ſectæ ſtudio *ſit in ſtudio* ducuntur & inde præiudicio autoritatis a veritate abducuntur, plerumque autem illa tantummodo ſolent pleniffime *deſt-hiſtorie eccleſiaſticæ,* pertractare, quæ ad diſſenſiones de fide pertinent. Aſt quæ *diſciplinam eccleſiaſticam,* vnde omnia iura eccleſiaſtica ortum traxere, concernunt, ſuperficiarie tractantur, vt inde vera ratio iurium eccleſiaſticorum colligi non poſſit. Galli certe hac in re egregiam operam potuere, & imprimis illa, quæ ſtatum eccleſiaſticum & diſciplinam illuſtrant, euoluerunt & ſtupenda induſtria excuſſerunt, quorum labores proinde magna ſtudioſo iuris eccleſiaſtici adferre poſſunt vtilitatem. *Laudatur Gallorum ſtudioſum in hiftoria eccleſiaſtica.* Egregie hac in re reliquos præiuit illuſtriſſimus Archi-Epiſco-



scopus Parisiensis Petrus de Marca in *tract. de concord. sacerdot. & imperii*, quem proinde Zieglerus de *Episcopis lib. 3. cap. 31. §. 23. iuris Canonici veteris & noui scientissimum* ex merito appellat, qui in prælaudato opere antiquissimam ecclesiarum praxin candide, vt plurimum, depingit & summo cum iudicio iura ecclesiastica inde illustrat, vt hoc duce felicissimi in hoc studio profectus fieri possint. Eundem candorem ad illustrandas antiquitates ecclesiasticas attulerunt Edmundus Richerius in *histor. Concil. general.* Io. Launoius in variis tractatibus, præsertim vero in *epistolis suis*. Ludouicus Ellies du Pin in *tract. de antiqua Eccles. disciplina, vt & Biblioth. Autor. Eccles.* in qua excerptis stupendo labore, quæ ad perno-scendum statum ecclesiæ facere possunt. Sed nec prætereundus Ludouicus Thomasinus de *noua & veteri Eccles. disciplina*, qui inprimis in eo sollicitus est, vt disciplinam ecclesiasticam per singula fere secula illustret, & praxin eius ostendat, vtut disimulare non possim, eundem candorem & sinceritatem in eo non deprehendi, qui in prælaudatis occurrit, nimis enim Aulæ Romanæ fauere viderur.

An in foris  
Protestan-  
tium stu-  
dium histo-  
ria ecclesia-  
stice prodesse  
possit?

§. XXII. Equidem non ignoro communiter doceri, tales antiquitates quidem ad iura canonica illustranda perquam vtilis esse, sed in foris Protestantium eundem vsum præstare non posse, in quibus non iure canonico principaliter viuimus, sed causas emergentes ex ordinationibus ecclesiasticis hunc in finem productis decidimus. Ast enim vero qui talia obiiciunt, supponunt, disciplinam nostrarum ecclesiarum esse nouum inuentum, nouiter demum in ordinationibus ecclesiasticis adornatum, quo falsius nihil dici potest. Sane pleræque ordinationes ab illis conscriptæ sunt, qui studio iuris canonici immersi fuere, & deinde ad praxin ecclesiarum simul respexerunt. Sicuti nunc disciplina ecclesiastica in plurimis post reformationem retenta est, quæ ante illam obtinuit, ita facile patet & hodiernas nostrarum ecclesiarum obseruantias absque luce historiæ intelligi non posse. Deinde & in terris Protestantium adsunt ecclesiæ Cathedrales, Capitula, Abbatia, Præposituræ, Monasteria, iura Papalia

ap.



applicamus nostris Principibus, iura dioecesana & Episcopalia non negligimus, iura Patronatus in viridi sunt observantia, iura publica imperii nostri status ecclesiasticos & seculares agnoscunt, at illorum iura vnde aliter haurimus, quam ex iure canonico, hoc vero absque cognitione antiquitatum ecclesiasticarum est studium plane mortuum. Quam sapissime nobis res est cum Catholicis, quorum iura si non cognoveris, sane in casum laborabitur, sed redeundum in viam.

§. XXIII. Vidimus hactenus primum fundamentum *De observan-* observantiarum ecclesiasticarum a traditionibus petitum, *ex iis ecclesia-* quo etiam germanice dici consueverunt alte hergebrachte *etica, que* Kirchen-Gebraüche und herkommen/ quod scilicet ipsa obser- *passum tacita-* vantia ostendat, huiusmodi instituta nobis tradita esse per *tum suppo-* manus. Præterea vero dixi observantias ecclesiasticas niti *ni.* tacito quodam pacto, vel rectius, fidem facere de iure quodam tacita conventionem in ecclesia introducto. Præstat hac de re audire Hermogenianum, qui in *l. 35. ff. de LL. satis* nervose hoc ipsum his comprobatur verbis: *ea que longa consuetudine comprobata sunt, ac per plurimos annos observata, veluti TACITA civium CONVENTIO, non minus quam ea, que scripta sunt, iura, servantur.* Certe Romana legislatio in Republica libera ut plurimum per conventionem fiebat & hoc intuitu in *l. 1. ff. de LL. communis Reipublice sponso* dicitur, quo intuitu Ictus ait, consuetudinem constare pacto tacito, sicuti leges expresso. In cœtu ecclesiastico idem obtinere supra iam monitum est, cum quodlibet collegium res collegii sui per pactum determinare queat. Illud tamen maiorem habet difficultatem, ex quo talis tacita conventio colligi possit? si diis ex factis, parata est obiectio, non constare, an talia peracta sint animo reliquos vel se obligandi, cum potius videantur ex mera libertate esse peracta, Ad hoc dubium romouendum, inquirendum est, ex quibus circumstantiis colligi possit, facta ab agentibus non ex mera libertate, sed ex quadam necessitatis opinione peracta esse, vel saltem communiter in hoc vel illud institutum consensum esse.

§. XXIV.



*Autoritas v-  
nius in col-  
legio facile  
omnes in  
consensum  
trahit.*

§. XXIV. Causam communis approbationis alicuius instituti constituere in ecclesiis potest. (1.) *Autoritas eorum, qui ecclesiis præsumt.* Hæc enim vis autoritatis inter homines, vt facile homines in venerationem rapiat, ad obsequium spontaneum mentem hominis inclinet, studium imitandi actiones eius, qui autoritate pollet, excitet, & complacendi cupiditatem apud singulos promoueat. Approbamus omnia, quæ dicuntur & fiunt ab iis, quorum autoritate durcimur, ex quo præiudicium autoritatis natum est. Quo sanctiori vita itaque hi, qui Ecclesiis præsumt, ceteris prælucent, vel alia ratione plebem in admirationem rapere possunt, eo magis facta eorum quæuis ansam præbent, vt mox illa imitentur, mutuo, ipso facto, in illa conspirent, & tandem inde similiter agere assuescant, & apud posteros continuent, ex quo tandem obseruantia Ecclesiastica oritur, seu perpetuus vsus ostendit antea in hoc institutum tacite fuisse consensus. Notæ sunt diuersæ obseruantia antiquæ de temporibus ieiuniorum, de ritibus circa sacram synaxin & Baptismo quæ omnia non instituto aliquo expresso semper constitisse verosimile est, sed si forsan præpositus Ecclesiæ die sabbati ieiunia seruauit, ex libertate mera reliqui hoc factum eius statim imitati sunt, & omnes eius actiones ad instar normæ sibi esse duxerunt. Et quia Apostoli etiam hisce in arbitrariis actionibus sua gaudebant libertate, hinc sine dubio factum, vt ab eorum actionibus multæ obseruantia, quamvis inter se diuersæ, postmodum inualuerint, cum non potuerit non eorum autoritas maxima in ecclesiis esse. Quot alii post Apostolorum tempora præstiterunt ecclesiis, quorum sane autoritas maxima semper fuit!

*Etiã ratio  
decori ad  
communem  
consensum  
homines ad-  
ducere pot-  
est.*

§. XXV. Ad communem consensus (II.) homines in collegio quodam, & sic quoque in ecclesia allicere potest ratio decori publici, id quod etiam mores hominum format, vt facile intra ecclesiæ limites penetrare potuerit. Est quidem alia ratio hæc, vt liberas habeat obseruationes, sed vbi semel in collegium aliquod introductum, & ad ordinem & decorum in collegio seruandum relatum est, facile in neces-



cescitatem aliquam transire potest. Decorum enim commune sponte omnes ad sui imitationem trahit, quia ita comparati sunt homines, ut magis decoro studeant, quam veræ honestati, imo nomen honestatis decoro imponant, quoniam sentiunt, communiter ab omnibus pro turpi quodam facto haberi, si quis se ad decorum publice receptum haud accommodauerit, imo pessime de eo, qui decorum negligit, iudicari. Cum itaque omnes tam tenaciter decorum ab antiquo usitatum, & e vita civili & moribus eorum, qui collegiis inter sunt, in ecclesiam deductum, obseruauerint, & successores sancte illud retinuerint, non potuit non inde tacitum pactum seu consensus utentium elici. Et cum fere decorum per singula loca variet; inde quoque factum, quod tanta diuersitas ratione liturgiarum tandem introducta fuerit. Sane multas ex decoro civili tractas esse in ecclesiam obseruantias res ipsa loquitur. Non aliunde enim primatus, nonnullis ecclesiis ab antiquo competens arcesci potest, quam a celebritate ciuitatum, in quibus tales ecclesie fuerunt. Celeberrimæ erant in tribus prioribus seculis ciuitates Roma, Antiochia & Alexandria, ad has perpetuus hominum confluxus ex omnibus locis præsto erat, ex quo fiebat, ut etiam illarum ciuitatum Episcopi tandem tacita quadam ceterarum ecclesiarum consensione, se ad decorum civile accommodantium, primatum præ aliis obtinerent, qui in *can. 6. Concilii Nicæni* proinde ex moribus antiquis arcescitur, quin eadem ratione qui in metropolitanis erant ecclesiis Episcopi paulatim itidem ex decoro civili prærogatiuam obtinebant.

§. XXVI. Sicuti itaque quælibet ecclesia separatam alii *Obseruantia* quod constituit collegium, ita non dubium est, quin etiam *ecclesiarum* suas peculiare & ab aliis diuersas possit habere *diuersissime.* obseruantias, adeo ut non raro in vno loco, ubi plures ecclesie sunt, hæc ipsa diuersitas deprehendatur. Ratio ex antea dictis facile colligi potest, & quia secundum Augustinum *epist. ns. totum hoc genus liberis habeat obseruationes*, ita nunc porro quomodo circa huiusmodi obseruantias diuersas versari vir prudens



Iniuste epi-  
scopus R. ali-  
as ecclesias  
ad obseruan-  
tiam suam  
trahere vor-  
luit.

dens debeat, ex eiusdem monito discamus: *Neque discipli-  
na, peigrit, vlti est in hoc melior graui prudentique Christiano,  
quam vt eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcun-  
que forte deuenerit. Quod enim neque contra fidem, ueque con-  
tra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eo-  
rum, inter quos viuunt, societate seruandum est. vid. c. II. D. II.*  
Proinde fatis impertinens & libertati ecclesiasticæ aduersa  
fuit Innocentii I. Episcopi Romani præsentio, dum conten-  
debat, omnes ceteras ecclesias ad obseruantias ecclesiæ Roma-  
næ se accommodare debere, quasi obseruantia illius ecclesiæ  
aliis quoq; legem præscriberet. In hac enim verba ad Decentium  
Eugubinum Episcopum scribit: *Si instituta ecclesiastica, vt sunt  
a beatis Apostolis tradita integra vellent seruare domini sacrodo-  
tes: nulla diuersitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, ac conse-  
crationibus haberetur. Sed dum vnusquisque, non quod traditum  
est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde di-  
uersa in diuersis locis, vel ecclesiis aut teneri, aut celebrari videntur,  
ac si scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones anti-  
quas humana præsumptione corruptas, putant sibi, aut ecclesiis non  
conuenire, aut ab Apostolis, vel Apostolorum viris contrarietatem in-  
ductam. Quis enim nesciat, aut non aduertat, id, quod a Prin-  
cipe Apostolorum Petro, Romane ecclesiæ traditum est, at nunc vsque  
custoditur, ab omnibus debere seruari, nec sic perdiri, aut introdu-  
ci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere  
videatur exemplum? præsertim cum sit manifestum in omni Ita-  
liam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam insulasque in-  
teriacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis A-  
postolus Petrus, aut eius successores constituerint sacerdotes, aut leg-  
gant, si in iis provinciis alius Apostolorum inueniuntur, aut leguntur do-  
cuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inueniunt, oportet eos  
hoc sequi, quod ecclesia Romana custodit, a qua eos principium ac-  
cepisse non dubium est, ne, dum peregrinis assertionibus studeant,  
caput institutionum videantur omittere.*

An differant  
obseruantia  
a moribus & ter se differant?

§. XXVII. Ex quibus omnibus iam facile colligi potest,  
an obseruantia, consuetudo, vsus & mores ecclesiastici  
quandoque pro  
pre-



presenti praxi sumi, seu pro usu recente, quorum pertinet, *consuetudine*  
 I. P. art. V. §. 12. n. 31. ibi: *sive longo usu, sive sola denique obser-*  
*vantia dicti anni, ex quo etiam illustr. Dn. Rhetius ad Jus*  
*feud. in proxm. p. 30. n. 9. concludit observantiam tanquam*  
*debilius consuetudini opponi, & per consequentiam*  
*eam etiam vno actu & sententia induci posse. De-*  
*cian. lib. 3. cons. 69. n. 8. Speid. in notab. iurid. voce obseruan-*  
*ria, neque adeo vetustatem temporis requirere. Verum,*  
 prout recte observat, Kulpisius *de observantia imperii* §. 6. ita  
 observantia longe aliud quid denotat, neque huc pertinet,  
 cum magis tantum de observatione iuris scripti, quod hoc  
 ipsum in praxi vigeat, intelligi debeat, quam de specie iuris  
 non scripti, de qua hic lunus solliciti. Sane consuetudinis  
 vox non videretur satis conceptum observantiae ecclesiasticae  
 exhaurire, quippe quae expressis institutis ordinarie opponi  
 solet, cum tamen etiam, ut dictum est, ecclesiastica obser-  
 vantia sub se comprehendat antiquissima instituta per tradi-  
 tionem ad posterios devoluta, prout de observantia imperii  
 Kulpisius *cit. l. §. 8. legq.* etiam iudicat. Quatenus autem ob-  
 servantia ecclesiastica etiam de illis testatur, quae vno pacto  
 in ecclesia constituta sunt, eatenus consuetudinem refert, &  
 synonymice saepe ita dicitur, prout loca adducta hinc inde  
 ostendunt.

## CAPVT II.

DE

### EFFICACIA PROBATIONE ET VSV OBSERVANTIAE ECCLESIA- STICAE.

§. I.

**E**X formato in *preced. capito* conceptu observantiae *Effectus ob-*  
 ecclesiasticae, non difficile erit de efficacia & virtute *servantiae*  
 eius iudicare. Communiter sicuti consuetudini *ecclesiasticae*  
 & observantiae in genere, ita quoque observantiae *forundum*  
 eccle.

D 2



*doctrinam  
scripturam  
ecclesiasticorum.*

ecclesiasticæ virtus legis tribuitur, adeo vt obseruantia sit ius quoddam non scriptum. Basilius in *c. 5. D. u.* eundem pietatis affectum obseruantis ecclesiasticis deberi, qui legi scriptæ ecclesiasticæ debetur, asserit, alioquin religionem ( h. e. cultum externum ) magnum detrimentum passuram esse. Augustinus ad *Casulanum epist. 86.* idem discrete affirmat: *in his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum* ( quæ per traditionem de manu in manum ad posteros deriuata sunt ) *pro lege tenenda sunt, &* quidem vt clarius euincat, obseruantias ecclesiasticas obligare ad instar legis, subiicit: *Et sicut prauaricatores diuinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt. c. 7. D. u.* Innocentius I. in *epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum* in verbis in §. 26. *cap. præc.* relatis totus in eo est, vt ostendat obseruantiam romanæ ecclesiæ aliis ecclesiis legem dare, in quo quidem errauit, licet in eo cum aliis patribus consenserit, obseruantias vim legis scriptæ habere. Hieronymus in *epist. 28. ad Lucinium.* relatus in *c. 4. D. 12.* hoc quoque constanter vrget, aiens: *Illud breuiter te admonendum puto, traditiones ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non efficiunt, ita obseruandas, vt a maioribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti.* Voluit ergo, obseruantiam ecclesiasticam in singulis ecclesiis sancte esse obseruandam. Vnde & Arsenius Monachus in *Synopsi canon.* apud Christoph. Iustellum in *Biblioth. iur. canon. antiq. P. 2. p. 757.* hunc canonem refert, *omnes ecclesiasticas traditiones non scriptas ex consuetudine in ecclesia receptas scriptisque constitutionibus minime contrarias esse seruandas.* Augustinus *lib. 2. de baptis. contra Donat. c. 9.* facit etiam mentionem obseruantie ecclesiasticæ, quæ ante concilia primis temporibus obtinuit, & pro lege obseruabatur, dum ait: *Hac attestacione satis ostendit, multo magis se fuisse commemoratum, si quid de hac re transmarinum vel vniuersale concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum & hæc sola opponeretur inducere volentibus nouitatem.* Obligant itaque consuetudines ecclesiasticæ, vt nihil facile con-

con-



contra eas induci possit. Illustrat simul hic locus egregie quod *cap. anteced. §. 5.* de origine iuris scripti dictum & ostensum est, ecclesias ab initio iure non scripto directas fuisse.

§. II. Adeo autem scriptores ecclesiastici obseruantis hifce autoritatem legis scriptæ tribuunt, vt etiam *Canonis ecclesiastica* prædicatum eis non denegent, quod alias normam legis *sub nomine* scriptæ ecclesiasticæ solet designare. Sic Eusebius *in lib. 6. canonis ve-* *niunt.* *Hist. eccles. c. 34.* refert epistolam Cornelii Romani Episcopi ad Fabium Antiochenum de Nouat: Baptismo, vbi ait: *Gravi morbo affectus, ipsoque in lectulo in quo iacebat ablutus, cetera postquam conualuit, adeptus non est, quæ iuxta ecclesie canonem (h. e. obseruantiam) suscipienda sunt, neque enim canon scriptus de ea re exstabat. Puto etiam huc respexisse Imperatores in l. 6. C. de SS. Eccles. aientes: vetustatem & canones pristinos ecclesiasticos, qui nunc vsque tenuerunt, per omnes Illirici provincias seruari precipimus. conf. Jac. Gothfr. ad l. 45. C. Theod. de Episc.* Ex hac obseruatione decisionem suam capit grauis controuersia inter eruditos orta super Iulii Episcopi Romani verbis relatis a Socrate & Sozomeno. Ille enim *lib. 2. H. E. c. 11.* Iulii literas refert ad Episcopos, qui Antiochiæ conuenerant, & Athanasium condemnauerant, scriptas, ibique ostendit eos *contra ecclesie canones egisse, quod illum ad concilium non vocassent, quippe cum canon ecclesiasticus veret, ne decreta absque sententia Episcopi Romani in ecclesiis sanciantur.* Hic vero *lib. 3. c. 9.* idem refert, & subiungit: *Nam legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronunciat, alia illa irrita esse, quæ præter sententiam Romani Episcopi constituuntur.* Anxie eruditi canonem istum conquisiuerant, cum sane in concilio aliquo Oecumenico hac de re nihil scriptum sit. Equidem illustrissimus Petrus de Marca *de concord. sacerdot. & imper. lib. 5. cap. 12. §. 3.* hic intelligi *c. VI. concilii Niceni* arbitratur, quo primatus deferretur Romano Episcopo præ ceteris Patriarchis. Sed non inepte clariss. Samuel Basnagius *rom. 2. annal. ad ann. 342. §. 2.* iudicat, facilius esse, oleum ex pumice exprimere, quam ab eruditissimo



simo præfule auctoritatem Iulio contributam extundere ex canone Nicæno. Mores antiqui ibidem tantum firmanantur, uti §. I. cap. 1. dictum, iam autem mores antiqui illo tempore ita non ferebant, vt causæ maiores ecclesiarum orientalium ad Pontificem deferrentur. Proinde etiam Stephanus Baluzius in *additamentis ad Petrum de Marca cit. l. ab eo recedit*, quod alias rarissime facere solet, & recte sine dubio rem acu tangit, dum ait: *possim non incongrue respondere, canonem illum siue legem sacerdotalem nibi aliud esse, quam consuetudinem illam, qua exigebat, quemadmodum contendit Iulius, si de maioribus causis ad Apostolicam sedem referretur.* Et hanc sententiam etiam esse recipendam, ipsa Iulii verba in epistola, cuius contenta Sozomenus & Socrates tantum referunt, euincunt, ubi ait: *Oportet secundum canonem & non isto modo iudicium fieri. Oportuit scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iustum esset, decerneretur. An ignari estis, hanc consuetudinem esse, vt primum nobis scribatur, vt hinc, quod iustum est, desiniri possit.* Ipse Iulius sane necessitatem, relationem ad sedem Romanam faciendi, ab obseruantia ecclesiastica deducit, atque adeo tam Socrates quam Sozomenus de tali obseruantia intelligi debent. Vtrum autem hæc obseruantia, ad quam Iulius protocat, reuera obtinuerit, altioris indaginis quæstio est, de qua vid. Basnage *cit. l. Erudite de hoc argumento quoque agit Ioannes Launoius in P. 6. epist. 12.*

**ICTorum**

§. III, Neque hæc tantum sententia antiquis patribus communis fuit, sed etiam a ICTis unanimiter fere approbata, dum docent, *obseruantiam in genere ius facere vid.* Gonzalez Tellez *ad c. f. X. de consuet.* Barbosa *in Thesaur. locor. obseruantie ecclesiasticae, commun. lib. 13. cap. 10. ax. 1. seqq.* Besold. *Thes. pract. voce obseruantia.* Hinc obseruantia optima lex vocatur, & omnium dispositionum interpret *l. 37. ff. de LL. lo. Bapt. Costa de fact. scient. & ignor. insp. 47. n. 7.* Ioseph Ludou. *commun. concl. 38.* Menoch. *Vol. 3. cons. 265. n. 7.* Quod iam in genere asserunt Dd., hoc etiam de obseruantia ecclesiastica admittere tenentur. Vnus inter omnes Carpzouius prodeat, qui passim insignia prædicata in *iusprudent. eccles. ei*

tri-



tribuit. Sic enim *l. 1. def. 25. n. 1. 2.* pro ratione ponit, quod ius faciat, a quo non recedendum sit. Item *lib. 1. def. 105. n. 8.* ait, quod sit practicae magistra & omnes dirigat & formet actus mundi. Porro *lib. 1. def. 114. n. 5. seqq.* tantum observantiam ecclesiasticam valere vult, quantum lex ipsa, imo omni lege valentior esse, ita ut faciat silere statuta scripta, prout *lib. 1. def. 134. n. 9.* asserit, cum habeat vim veritatis, & æquiparetur regiae auctoritati & permissioni Principis, ceu loquitur *lib. 2. def. 155. n. 5.* adeoque ceu matri eidem reuerentiam esse habendum, Id. *lib. 3. def. 17. n. 15.* alios ut nunc flosculos de observantiae ecclesiasticae efficacia præteream. Quia quod etiam in plerisque ordinationibus ecclesiasticis multa observantiae ecclesiasticae relinquuntur, vel exceptio etiam ex contraria observantia dispositioni subiciatur.

§ IV. Quæ cum ita sint, non ambiguum adeo erit, de *Decisio.*  
 veritate huius doctrinae iudicium ferre, si modo quæ antea *cap. antec.* dicta sunt, in subsidium vocentur. Scilicet cum ibidem deductum sit, observantiam esse testimonium de iure antiquo expresso pacto vel tacito constituto, nihil observantia operabitur, quam fidem iuridicam, ut scilicet sicuti scriptura de lege lata testimonium fert, ita quoque constans praxis & observantia de lege non scripta idem doceat. Minus accurate itaque dicitur, observantiam ecclesiasticam ius facere aut legem esse, sicuti scriptura ipsa non est lex, sed voluntas legislatoris per literas expressa. Interim sicuti scriptura in lege scripta vulgariter lex dici solet, ita hoc sensu admitti potest vulgata locutio, observantiam ius facere, ut ita loquamur cum vulgo, & sentiamus cum eruditis. Hoc sensu itaque observantia ecclesiastica habebit omnes effectus legum scriptarum, ita ut non tantum præbeat facultatem legitime aliquid agendi, sed etiam prætereā obliget eos, qui in illo coetu vel ecclesia reperiuntur. Ita etiam, qui se in societatem quandam recipiunt, ipso facto promississe & se obligare voluisse videntur ad omnia illa servanda, quæ lex collegii & observantia requirit. Pufendorff. *de I. N. & G. lib. 3. c. 6. §. 2.* Huc respexit Augustinus *in epist. 118.* ubi fa-  
 teretur,



teetur, nullam disciplinam in his meliorem esse graui prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcunque forte deuenerit. Pro probando itaque antiquo instituto ecclesiastico sufficit, prouocasse ad obseruantiam constantem, quæ vim scripturæ continet, & fidem facit, antiquitus vel expresso vel tacito pacto tale quid constitutum esse.

*Obseruantia  
ecclesiastica,  
efficacia con-  
tra ius com-  
mune.*

*Monetur  
dubium.*

§. V. Tanta nunc porro est autoritas obseruantie ecclesiasticæ, ut etiam ius commune regulare ecclesiasticum limitet, restringat & mutet. Noui quidem sæpe in iure canonico damnari consuetudines, quæ canonibus contrariantur, prout dicitur in *c. 4. D. 10.* Forfan etiam hæc ratio in contrarium adduci potest, quod non sit in potestate ecclesiæ, recedere a iure communi siue expresse siue tacite aliter disposuerint, præsertim si in conciliis generalibus aliud introductum, vel lege generali principis diuersum cautum sit. Videtur hoc ipsum uisisse Leo magnus, cum ipso inuito & contradicente in *c. XXVIII.* Concil. Chalcedonenfis primatus post sedem Romanam Constantinopolitanæ ecclesiæ tribueretur. Non nouum hoc institutum, sed in concilio Constantinopolitano *l. c. 3.* hic honor iam confirmatus erat, ut generaliter tantum, ut huius sedis primatus ad certas dioceses non extenderetur, prout Romana, Alexandrina & Antiochena ecclesiæ suum peculiare territorium habebant, in quo primatum suum exercebant. Verum postea per obseruantiam constantem usque ad concilium Chalcedonenſe receptum erat, ut Constantinopolitanus primatum suum per Pontum, Asiam & Thraciam exercebat, quæ obseruantia paulatim ex decoro ciuili inualuerat, quia Constantinopolis tantquam vrbs regia & noua Roma plures prærogatiuas habebat. Atque hæc quidem obseruantia in *cit. c. 18.* confirmabatur, fremente licet Leone, qui vnice id urgebat, obseruantiam hanc & dictum canonem repugnare canonibus concilii Nicæni, vid. Edmundus Richerius in *histor. concilior. general. lib. I. cap. 8. §. 3.* Forfan rectius dixisset, hanc dispositionem suæ ipsius ambitioni repugnare, neque enim ferre poterat, Ana-



Anatolium Episcopum Constantinopolitanum paribus frui iuribus, quibus Romani praefules fruebantur. Verum ut ad hoc dubium, quod ante motum directo non dependere a subest, efficaciam legum quidem directo non dependere a subditorum voluntate & dispositione, interim tamen hoc negari nequit, legem scriptam vilescere & omnem quasi vim amittere, si in praxin non deducatur, & extra omnem usum constituatur. Contingere hoc potest variis ex causis, vel ut lex non sit accommodata ad mores populi, vel ut peculiaris antiqua instituta & consuetudines inolitae receptionem talem non ferant, vel ut circumstantiae rerum & temporum plane mutatae sint, & quae sunt alia, quo ipso fit, ut lex recepta dici nequeat, & per consequentiam si in contrarium per constantem observantiam quid obtineat, haec contra legem scriptam generalem valeat. Atque haec fuerunt etiam sacra conciliorum Oecumenicorum, quae non ubique in omnibus locis recepta sunt, licet vel maxime ea intentione canones vnanimi consensu Episcoporum conditi fuerint. Egregium hanc in rem testimonium Anastasii Bibliothecarii exhibet Petrus de Marca *de concord. sacerdot. & imper. lib. 2. cap. 16. §. 3.* qui ad marginem sexti canonis septimae synodi, ubi mentio cuiusdam canonis Trullani habetur, haec annotavit: *Nec te moneat, si hanc definitionem nos minime habeamus, cum & eorum nonnullas, quas inter canones habemus, in auctoritatem non recipimus, sicut quasdam ex conciliis. Alia namque apud Graecos tantum, aliae vero apud certas solum provincias in observantia ecclesiastica assumuntur, sicut sunt Laodicensis concilii 16. & 17. regule, quae apud Graecos tantum servantur, nec non Africanorum conciliorum 6. & 8. capitula, quae nulla provincia servare nisi Africana dignoscitur.* Huc respexit Gratianus *ad c. 3. d. 4.* iniquens: *Leges instituantur, cum promulgantur, firmanur cum moribus videntur approbantur.* Exempla harum observantiarum contra ius commune passim obvia sunt. Sic ordinarie ius Patronatus non tribuit patronis iurisdictionem in personas ecclesiasticas. In Marchia tamen per observantiam introductum, ut patroni possint removere pastores, quae observantia etiam expresse con-

*Respondetur  
ad dubium  
motum.*



confirmata est per claram dispositionem *Ordin. confist. March. iii. 10. §. f. ibi*: Weil die Patroni und Collatores, welche die Pfarren zu vociren / und zu præsentiren auch wieder zu enturlauben hergebracht haben / soll es dabey nochmahls gelassen werden. *conf. illustr. Dn. Stryk in not. ad ius eccles. Brunnem. lib. 2. cap. 8. §. 30.* Eo ipso itaque, quo legislatores exceptionem ex observantia ecclesiastica admifere, efficaciam eius contra ius scriptum agnouere,

*Alia exem- pla obseruan- tiarum contra Ius commune.* §. VI. Sed aliis exemplis rem declarare iuuabit. De stre spatium anni se non extendat, adeo ut ne quidem inuito nouo parochio illud a principe extendi facile possit. *Carpz. lib. 1. jurispr. eccles. def. 184. n. 7. seqq.* Idem terminus quoque probatus est in *recess. prouin. March. de anno 1653. §. 6* ubi tamen notabilis hæc adducitur limitatio: Da aber wegen duration und continuati on des Gnaden-Jahres ein anders per statuta & obseruantiam de iure subsistentem introduciert / ist es allerdings dabey zu lassen: Admitit itaque serenissimus legislator, vt obseruantia suum effectum contra ius scriptum retineret. Sic in plerisque ordinationibus ecclesiasticis constitutum legimus, ne diebus dominicis nuptiales festiuitates celebrentur, si tamen per obseruantiam contrarium obtineret, hoc ipsum valere *Carpz. lib. 2. def. 155. n. 4.* asserit.

*An obseruan- tie prave effici- ciam habe- ant ex doctri- na scripto- rum ecclesia- sticorum dis- quiritur.* §. VII. Ceterum communiter hanc efficaciam adferunt obseruantis ecclesiasticis piis & rationabilibus: inhonestas autem & malas consuetudines vim nullam habere aiunt. Huc pertinent varia patrum dicta, quæ collecta sunt a *Gratiano dist. 8. Quæ enim improbe excogitata sunt, ea nec longa consuetudine confirmari volumus, sunt verba Iustiniani in Non. 134. Gregorius IX. in cap. 15. X. de consuet. hac de re ita loquitur: eum tanto sint grauiora peccata, quanto diutius infelicem animam detinet et alligatam, nemo sane mentis intelligit, naturali iuri (cuius transgressio periculum salutis inducit) quacunque consuetudine (quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari *conf. c. 5. X. de eo, qui duxit in matrimonio c. 8. de Simon. In consilio Moguntino IV, c. 84. derogatur omni con-**



consuetudini contrariæ, cum iniquitati longinquitas temporis patrocinari non debeat. Et infinitum foret, omnes scriptorum ecclesiasticorum assertiones hic adducere.

§. VIII. Verum circa hanc materiam duo potissimum *Quanam ob-*  
 in dubium vocantur: (1) quænam observantia ecclesiastica *servantia pro-*  
 pro impia habenda (2) an si vitium aliquod habeat, statim *pravis haben-*  
 omni iuris effectu careat. Prima quæstio est satis ambigua, *de non sem-*  
 cum plurima in liturgicis occurrant, per observantiam eccle- *per liquido*  
 siasticam confirmata, quæ magis superstitionem quam ve- *constat.*  
 ram rationem habent. Pontificius clerus potissimum hoc  
 prætextu omnes consuetudines infringere conatus fuit, quæ  
 Hierarchiam clericalem quodammodo restringunt, & fontes  
 acquirendi præsciunt. Hinc orta est regula: *consuetudi-*  
*nes ecclesie gravamen inferentes, observari non debent c. i. X. con-*  
*suet. auth. cass. C. de SS. eccles. ex quo postmodum in con-*  
*cilio Salisburgensi tempore Martini V. c. 3. cautum fuit: con-*  
*suetudines, quæ gravamen ecclesie inducere dignoscuntur, inualidas*  
*publicamus.* Certe sub hoc prætextu *variarum ecclesiasticarum ob-*  
 servantiarum impugnari possunt, cum nihil sit facilius, quam  
 gravamen aliquod ecclesiasticum excogitare, si vel redditibus  
 aliquid detrahatur, vel immunitas ecclesiastica ab antiquo  
 restricta fuerit, vel Cleri liber dominatus intra suos restringatur  
 cancellos. Paschalis II. Papa in *epist. 22. ad Henricum*  
 V. Imperatorem inuestituram per anulum & baculum morem  
 impium esse vult, dum ait: *Vnde etiam mos ecclesie into-*  
*lerabilis inolevit, ut electi Episcopi nullo modo consecrationem acci-*  
*perent, nisi prius per manum regiam investirentur.* Olim moris  
 erat, ut decedentibus Episcopis, ab Imperatoribus spolia eorum  
 occuparentur. Hunc morem Otto IV. apud Goldast.  
*tom. 1. conflit. imperial.* reprobatur & abolendum esse jubet his  
 verbis: *pravam illam consuetudinem insuper, quam imperatores*  
*antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel se moventibus de-*  
*cedentium Episcoporum, vel Abbatum Principum huc usque serva-*  
*verunt, penitus extirpans nos ecclesiasticos principes ex hac indebi-*  
*ta vexatione regali benevolentia liberos dimisit, & decedentium bo-*  
*na suis successoribus servanda liberaliter statuit.* At vero quam  
 con-



consuetudinem Otto IV. pravam iudicavit, Reges Gallie saehete retinere & exercuere, minime eandem pravam iudicantes, quam etiam defendit Archi-Episcopus Parisiensis Petrus de Marca *de concord. sacerdot. & imper. lib. 8.* Non difficile quidem foret, observantias pravas dignoscere, si modo verus finis ecclesiis prepositus semper intenderetur, scilicet ut omnia aedificationi inservirent, sed ita vereor, ne plures observantiae pravae dicendae sint, quod impediant aedificationem, quae tamen a plerisque suscipiuntur & defenduntur. Ita corruptus est status ecclesiarum nostrarum, ut pro praesenti ecclesiarum nostrarum statu vix amplius iudicari possit, quoniam observantiae pravae dicendae sint, nisi totalem rerum mutationem inducere velimus, quod statui ecclesiarum nostrarum repugnat. Si ex vero itaque rem velimus aestimare & ex indole ecclesiarum interna omnia dijudicare, observantiae ecclesiasticae, quae aedificationem ecclesiae impediunt, pro pravibus habendae forent, cum omnia in ecclesia huc unice sint dirigenda.

*An statim  
observantiae  
pravae in ec-  
clesiasticis  
vim juris  
amittant.*

§. IX. Quoad alteram quaestionem adhuc gravior ratio dubitandi est, an statim observantiae ecclesiasticae pravae suam efficaciam amittant, nec amplius *effectus juris* fortiantur? Ponamus haec observatum fuisse ab antiquissimis temporibus, ut candidatus ministerii defuncti viduam vel filiam in uxorem ducere debeat, vel ut candidatus non aliter ad officium suum admittatur, nisi soluto certo pretio, quod vulgo simoniam vocant, an talis observantia, quae vera non satis honesta dicenda, statim omni effectu careat? Et tamen in Marchia Pomerania, imo patria mea, scilicet Ducatu Mecklenburgico, & quibusdam locis inferioris Saxoniae introducta reperitur, teste Finckelth. *de jure Patronat. cles. cap. 6. n. 38.* Quid de jure patronatus fiet, si mores pravi omnem suam efficaciam amittant? Habemus plures leges scriptas irrationabiles in statu reipublicae corrupto, quae vim suam habent, quid ergo mirum, si jus non scriptum eandem efficaciam habeat. Nicolaus Papa Hinemaro Archi-Episcopo Rhemensis hac de re in haec verba rescripsit: *Mala con-*  
*sue-*



*sueto, quæ non minus, quam perniosa corruptela vitanda est, nisi citius radicibus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur & incipiunt prævaricationes & varia præsumptiones celerime non compressæ PRO LEGIBUS venerari & privilegiorum more perpetuo celebrari e. 3. D. 8.* Si itaque per observantiam ecclesiasticam semel aliquid introductum, licet vel maxime corruptela ecclesiæ dicenda sit, hæctenus tamen in depravato statu ecclesiæ jus facit, & agentibus impunitatem concedit, adeoque in effectu regulæ illæ otiosæ sunt, quæ rationabilitatem in omni observantia ecclesiastica requirunt. De precibus publicis in ecclesia recitandis quantæ lites exurgere soleant, plenius ostendit Dn. Præses *de jure precun. publ. c. 3.* dum patroni aliique jure suo id exigant, ut precibus publicis solenniter diebus singulis dominicis Deo commendentur. At hæc observantia Ecclesiastica est sine dubio pessima, si in se consideretur, cum ex ambitione mera hæc solennis nominum recitatio in publicis precibus exigatur, & tamen ubi hoc per observantiam obtinuit, jus quæsitum eis, pro quibus orandum est, exinde adscribitur. Inde preces publice in solenne monopolium contra naturam suam mutantur. Imo fere hodie quot sunt observantiæ ecclesiasticæ, tot depravationes sunt, quia a pravis hominum moribus proficiscuntur, quibus status ecclesiasticus infectus est, & tamen quis hisce effectum juris denegaret? Non tam improbus sum, ut velim observantias pessimas defendere, quas omnino reprobis & damno, sed tantum animus est ostendere Dd. vulgatum assertum esse otiosum, pravas consuetudines effectum juris suum non habere, quas utique non haberent, si extra statum corruptum ecclesiæ constitutæ essent. Neque ego, tantum id ipsum assero, sed præter praxin Nicolaus Papa id clarissime confitetur in verbis antea adductis. Patrum asserta in §. 7. adducta magis intelligenda sunt de eo, quod fieri non debebat, quam quod fiat. Nam & leges scriptæ secundum c. 2. D. 4. deberent esse honestæ iustæ, possibiles & vitales, quæ prædicata tamen sæpe deficiunt, & tamen hæctenus normam actionibus constituunt.





*Præuobservantia a iudice rescandanda.*

§. X. Interim non nego, tandem pessimas observantias vim suam amittere, si a Principe lege publica prohibeantur, & inter delicta referantur, nam sic utique omnem suam vim amittunt, quod enim hactenus licite factum, iam post legem latam illicitum redditur. Pertinet tamen ad prudentiam legislatoriam dispicere, an semper corrupti mores ex ecclesiis per leges tolli & funditus eliminari possint, cum iudice Tiberio apud Tacitum *lib. 3. annal.* sæpe vitia tam adulta & præualida sint, ut consultius sit illa committere, quam hoc adsequi, ut palam fiat, quibus flagitiis princeps impar sit. Potius videndum & curandum est, ut civibus intra animum medeantur iuxta eiusdem Tiberii consilium, & cæteris illi bono exemplo præeant, qui talem observantiam pravam abolendam censent. Ipse Gregorius I. de pessimis quorundam Anglorum observantiis die dominica frequentibus monet Augustinum Anglorum Episcopum, quod quidem illæ non rationi, sed mentis cœcitati adscribi debeant, interim tamen adiicit: *Vnde nec a tali consuetudine auerti possunt & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte peiores existant, si a tali consuetudine prohibeantur.* In cuius rei testimonium adducit dictum sapiens Salomonis *Prover. XXX. 33. qui multum emungit, elicit sanguinem.* Prudentia utique opus est, ut mala inueterata sensim & pedetentim tollantur, quod præcipiti euerfione semper fieri nequit. Vigiliæ nocturnæ in pessimos olim abierant mores, cum cantilenis, saltationibus, porationibus & fornicationibus plerumque peragerentur. Seculo itaque XIII. partim conciliis particularibus, partim alia via sensim abrogari cœperunt, substitutis, in earum locum diebus ieiunii, quibus nomen *vigiliarum* relictum, ne videatur novitas quædam introducta. vid. Autor in libro, cui nomen *Gemma anime* l. 4. c. 6. In quo satis prudenter actum fuisse videtur, cum vulgus tenaciter moribus antiquis soleat adhærere, & quæ contra eos introducuntur novitates in sacris, spernere. vid. Dn. Becmann *diff. de novitatibus cap. 3.*

*Observantia ecclesiastica probanda,*

§. XI. Cum vero observantia ecclesiastica scripto non constat, sed ipso usu suo cognoscatur & valeat, sæpe dubium exurgit in ecclesiasticis, an hoc vel illud ita receptum sit,



ob dieses oder jenes hergebracht sey/ atque adeo nunc de pro-<sup>in dubium si</sup>  
batione obseruantia ecclesiasticæ laborandum. Nam re-<sup>vocatur.</sup>

ceptio, usus & obseruantia in facto consistunt imo facta anti-  
qua & instituta supponunt, quæ cum dubia esse possint, v-  
trique probatione indigent. Atque adeo cum primis tempo-  
ribus iure non scripto ecclesiæ regerentur, non semel de <sup>Exempla ad-</sup>  
existentia obseruantia ecclesiasticæ dubitatum fuit. Atque <sup>seruantia-</sup>  
de hac imprimis disputatum fuit inter orientales & occiden-  
tales, cum Athanasius ab orientalibus in concilio Antioche-  
no damnatus esset, & quia ad Iulium Episcopum Romanum  
confugerat, & hic eius causam agere volebat, ægre id iudi-  
cium orientalium Iulius tulit, & proinde literas objurgatori-  
as ad orientales, qui Athanasium condemnauerant, misit, iu-  
diciumque eorum velex hoc capite irritum esse voluit, quod  
absque concursu occidentalium Athanasium condemnas-  
sent. Ad hoc ipsum probandum prouocabat ad obseruan-  
tiam aiens: *an ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum*  
*uobis scribatur, ut hinc quod iustum est, definiiri possit.* Ori-  
entales his literis acceptis hanc obseruantiam ecclesiasticam  
haud agnouerunt & quidem recte, vti mox dicendum. Hinc  
aiunt: *Hanc nouitatem moliebantur introducere, quam horret ve-*  
*tus consuetudo, vt in concilio orientales episcopi quid forte statu-*  
*issent ab occidentalibus refricaretur. Similiter quicquid occiden-*  
*talium partium Episcopi, ab orientalibus solueretur.* Novitatem il-  
lud ipsum orientales vocant, quod occidentales vel pretextu  
obseruantia ecclesiasticæ introducere nitentur, qui  
contra suum iudicium consuetudine antiqua fundari docent.  
Et quidem recte. Audiamus hic eruditissimum du Pin *tr. de*  
*antiq. eccles. discipl. dissert. II, p. 133.* ubi de hac lite ita iudicat:  
*Sed multum vereor, ne ille (Iulius) ista non satis examinauerit.*  
*Nam vt ex diæliis liquet, multa in oriente iudicia sunt facta incon-*  
*sultis & minime vocatis episcopis occidentalibus, sicut in occidente*  
*inseis & non vocatis orientalibus: & tamen utrobique semper con-*  
*firmata erant iudicia in altera parte orbis Romani canonice lata. Sic*  
*vt recte obiciunt orientales, iudicia in Nouatum, Sabellium & Va-*  
*lentinum ab occidentalibus lata sine nouo examine ab orientalibus con-*  
*fir-*



*firmata sunt, ac deinceps in causa Cœlestii & Pelagii iudicia in ipsos lata a synodo Ephesina sine iterato examine comprobata sunt. Patet igitur Iulium & occidentales hic esse lapsos, dum nouum istum morem veterem consuetudinem esse arbitrati sunt.*

*Nouum exemplum obseruantie ecclesiasticae dubia.*

§. XII. Pariter grauissimæ lites emerferunt inter Stephanum Episcopum R. & Cyprianum Carthaginensem episcopum de rebaptizandis hæreticis, quod hic grauitè urgebat, ille negabat. In vtramque partem praxis antiqua ecclesiæ & inueterata obseruantia obiiciebatur, in qua dispositione Stephanus feruentior sane erat, Cyprianus vero placida mente omnia peragebat siquidem *epist. 73. aperte fatetur, se æquo animo ferre, saluo inter collegas pacis & concordia vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sine usurpata (seu obseruata.) retineri.* Imprimis vero Stephanus Cypriano vniuersalem obseruantiam ecclesiasticam opponebat, & ut eo magis stringeretur, ab institutis Apostolicis eandem deduxisse videtur. Ita enim Augustinus *lib. 5. de baptismo contr. Donat. c. 23. consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum traditione exordium duxisse, credenda est, sicuti sunt multa, quæ vniuersa tenet ecclesia & ob hoc ab Apostolis præcepta vere creduntur, quam scripta non reperiuntur.* Sed lubrica sane hæc conclusio est, vti *cap. 1.* iam ostensum, & alibi ipse quoque iam agnoscit Augustinus, quoties cum aduersariis non disputat. Ex merito itaque Cyprianus ad epistolam Stephani traditionem iactantis respondet: *vnde est ista traditio?* Firmilianus contra pro Cypriani sententia contrariam obseruantiam urget. *Aduersus Stephanum, ait, vos dicere Afri potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse. Ceterum nos veritati & consuetudini iungimus & consuetudini Romanorum, consuetudinem sed veritatis opponimus.* Ceterum obseruantiam vniuersalem Stephanum contra Cyprianum probare non potuisse testis est locupletissimus Augustinus *lib. 2. de baptismo contra Donat. cap. 8.* vbi ait: *sed quia tunc non existerant, nisi qui ei (Cypriano) consuetudinem opponerent (Stephanus imprimis) defensiones autem ipsius consuetudinis non tales afferrent, quibus illa tales anima moueretur, noluit vir gravisimus rationes suas, esse*

*non*



*non veras (quod eum latebat) sed tamen non falsas, veraci quidem, sed tamen nondum asserta consuetudini cedere,*

§. XIII. Cum itaque in dubio observantia probanda veniat, expediti juris est, eum, qui observantiam ecclesiasticam pro se allegat, eandem probare debere: Ut ut enim alias jus non sit probandum. Struv. *ex. 28. ib. 8*; hoc tamen de jure certo constituto intelligendum, ubi vero ipsum jus negatur, & dubium est, an aliquod jus hac de re adfit, probatione opus est, Wesenb. *in paratitl. de probat. n. 7.* Jam autem ordinarie is, qui dubium aliquod in judicio proponit, illud probare debet, tum quia autor illius dubii est, tum quia in eo se fundat, de quo tamen non constat. Ceterum allegantem observantiam ecclesiasticam a probando liberari communiter volunt, si observantia sit notoria. Mynf. *5. obs. 96. n. 6.* Andreoli *controv. n. 28.* cum notoria non sint probanda sed alleganda *c. 3. X. de testib. cog.* Gail, *lib. 2. Obs. 31.* Sed plerumque contingit, ut æque dubium sit illud, quod notorium esse dicitur, quo ipso fit, ut si adversarius notorietatem neget, observantia, quæ notoria esse dicitur, nihilominus doceri debeat. Fabric. *ad Gail. cit. l. sect. 7.* Multa enim dicuntur notoria, quæ talia non sunt, uti plenius ostensum in diff. Dn. Joan. Sam. Strykii *de Notorio.*

§. XIV. Ceterum de modo probandi observantiam ecclesiasticam, non omnium una eademque est sententia, præsertim cum non omnes in conceptu observantiæ conspirent. Qui enim secundum §. *ult. cap. preced.* observantiam a consuetudine toto cælo distinguunt, & ita sub illa jus aliquod non scriptum haud intelligunt, supponunt, uno actu probato, probatam esse observantiam. Berlich. *P. 2. concl. 53. n. 67* quin nec temporis decursus hic probari debere volunt, uti in consuetudine. Stuk. *conf. 15. n. 998.* eo ipso quod uno absolvatur actu. At vero, prout jam in *f. cap. preced.* monitum, tunc observantia non denotat ein altes Herkommen und hergebrachtes Recht / sed nudum factum designat, quomodo lex scripta vel pactum aliquod scriptum observatum fuerit, quando de ejus interpretatione dubium

F

*Observantiam ecclesiasticam probare is debet, qui in ea se fundat.*

*Quid Dd. statuunt de probatione observantiæ.*

inci-



incidit, sic enim recurrere solent ad observantiam antecedentem: ille enim intellectus pactio-  
num assumi retineritio debet, quam rerum exitus i.e. observantia atque executio  
partium demonstraverit, Tabor. *de confrontat* §. 16. p. 12.  
feu per observantiam secutam constare videtur, quid partes  
fenserint. Cravetta *conf.* 459. n. 21. & hoc sensu observan-  
tiam vocare solent reginam omnium interpretationum. Be-  
fold. *conf.* 212. n. 60. Et inde n. 62. idem Besoldus pergit: *con-*  
*stat vel unicum interpretationis actum ad usum & observantiam*  
*sufficere, & in observantia ista interpretativa non requiritur spati-*  
*um longi temporis sed satis est, aliquando ita observatum fuisse.* Idem  
hanc ipsam doctrinam ulterius inculcat *conf.* 199. n. 5. *conf.* 202. n.  
60. *conf.* 236. n. 18. *conf.* 91. n. 23. Sic porro aiunt observantiam esse  
declarativam concessionis & privilegii. Mev. *conf.* 108. n. 9.  
Scilicet hoc sensu observantia fere idem operatur ac possessio-  
narium, & unice ostendit praxin presentem seu usum  
iuris alicuius certi vel pacti, de cuius existentia non dubita-  
tur, sed tantum de eius sensu & mente. Ast ita observan-  
tia in iure ecclesiastico haud consideratur, sed prout *cap.*  
*preced.* plenius declaratur, designat speciem iuris non scri-  
pti, quod partim vel consuetudinem, vel antiquum aliquod  
institutum per traditionem ad posteros derivatum comprehendit,  
& quia scripto non constat, hinc de eius existentia dubitatur,  
non vero tantum de eius interpretatione. Ipse Tabor *cit.* aliam adhuc observantiae significationem esse  
non diffitetur, sed eius conceptum non satis expressisse vi-  
detur. Linquamus ergo hunc observantiae declarativae signi-  
ficatum, & ad iuris non scripti probationem nos accingamus.

*Quomodo  
observantia  
ecclesiastica  
probetur.*

§. XV. Scilicet observantia ecclesiastica, prout hic su-  
mitur, constituitur ex longa & uniformi ecclesiarum praxi,  
& quidem prout illa ipsa vel ex traditione de antiquo insti-  
tuto orta & firmata est, vel si haec deficiat, tamen de pacto  
tacito fidem facit. Praxis seu usus conficitur ex variis acti-  
bus, quorum numerus determinari nequit. Doctores ad mi-  
nimum duos requirunt. Gail. *lib.* 2, *obs.* 31, Myning. *cent.* 6.  
*obs.*



*obs. 41. n. 7. Carpz. P. 2. C. 3. def. 22. n. 7. Vultei. 1. conf. marp. 33. n. 96. Franzk. ad ff. tit. de LL. n. 11. quod scilicet eo sensu admitti potest, ut si actus duo prolati fuerint, exinde fides iudici fieri possit, tale ius non scriptum extare. Vt enim hoc facile concesserim, duos actus non inducere ius aliquod vel consuetudinem, nam reuera quod semel vel bis factum in id omnes consensisse & se in posterum ad id in ecclesiastico cœtu adstringere voluisse, dici nequit, tamen ubi iam res ad probationem devenitur, & an talis observantia ecclesiastica obtineat, dubitatur, duos vel tres actus probasse sufficit, quibus probatis ad minimum illa inde emergit præsumptio, tale ius non scriptum in hoc cœtu vel collegio obtinere, de quo sermo est. Breuiter illi duo actus probati testi monium faciunt, ab antiquo tale ius obtinuisse, utur scriptum non sit, cum utique praxis subsequens declaret, quale ius in similibus causis obtineat. Atque hoc maxime admittendum in institutis antiquissimis probandis, prout Carpz. cit. l. suam sententiam recte restringere videtur ad casum, si longissimo tempore actus contrarii non extiterint, quia in antiquis non semper plena probatio haberi potest. Riccius P. 2. decis. Neap. 23. Hoc præsertim contingit, si observantiam fama vel traditio comitatur, hoc antiquitas ita esse institutum, cum etiam multum efficaciam famæ tribuatur in antiquis. Aymon. Cravetta de antiqu. temp. p. 1. membr. ult. Io. Carolus Antonell. de tempore legal. lib. 2. c. 111. n. 3. Si enim per famam fines in antiquis probari possunt iuxta Honorium in c. 13. X. de probat. ut & testes de auditu. Gonzalez. ad cit. l. c. n. 6. cur non etiam ad alia antiqua instituta probanda multum fama efficere possit, cum ipsa traditio reuera in communi quadam fama consistat, & hætenus quoddam publicum testimonium operetur. Gonzalez. cit. l. n. 7.*

§. XVI. Multum itaque iuvabit, in observantia antiqua ecclesiastica famam communem seu traditionem probasse, per quam ius antiquum hætenus semper quasi conservatum fuerit, præsertim si constet, praxin ad præcedentem communem opinionem institutam fuisse, quia tunc facilius vel

*In observantia antiqua traditionem probasse multum iuvat.*



duo actus ad jus non scriptum docendum sufficere possunt. Non autem hic paucorum tantum suffuratio, sed communis quasi ecclesie opinio hic intelligitur, ad quam probandam testes ex ipso cœtu producendi sunt, qui deponere debent, se ita publice dici audivisse, antiquam istam opinionem, & communiter ita creditum fuisse. *conf. Alexand. vol. 5. conf. 16. n. 6.* Aliqui ad minimum decem testes hic requirunt, ut de tali publica voce fidem faciant, quod tamen non præcise necessum esse puto, si modo tales testes adsumantur, qui mores ecclesiasticos optime cognitos habere præsumuntur, quales sunt imprimis seniores & illi, penes quos est administratio rerum ecclesiasticarum, & qui alias iura ecclesiarum tuentur aut conservant. Hi si de antiqua traditione fidem faciant, in antiquis omnino fidem operantur, sicuti etiam fides huiusmodi hominibus habetur, si testantur, ita semper observatum fuisse, nec meminisse contrarium, idem que a maioribus se audivisse, licet actus specificè non probentur. *Wesensb. in parat. ad tit. de LL. circa finem.* Idem dicendum reor, si alio aliquo documento, vel Chronico traditionis eiusmodi mentio fiat, cum etiam in antiquis huius magna ratio habeatur *c. 13. X. de probat.* Atque talis probatio quidem tunc utilis est, si observantia se in antiqua traditione fundat.

*Quomodo  
observantia  
ecclesiastica  
probanda si  
traditio non  
concurrat.*

*Modus pro-  
bandi osten-  
ditur.*

§. XVII. Ceterum si negotium aliquod frequentius occurrit, plures quidem actus ad introducendum ius non scriptum seu pactum tacitum necessarii erunt, ut exinde colligi possit, communiter in id a plerisque consensus esse, sed ad observantiam inde deductam docendam pauciores adduxisse satis erit, quatenus exinde constare possit, ius aliquod constans introductum esse. Alia enim est ratio introducendi iuris non scripti, alia vero est ratio id, postquam introductum est, ex observantia probandi. *Wesensb. cit. loc.* Hunc in finem *Colerus de process. execut. lib. 1. cap. 3. n. 34.* instruit advocatos, quomodo in consuetudine probanda versari debeant. Scilicet præmittendus est primo loco generalis articulus, quod talis in loco consuetudo obtineat, deinceps concipiendus articulus specialis de uno aliquo actu publico



blico celebrato, postea in alio articulo continuatio huius obseruantiae per alium actum declaranda & sic porro, quæ constans & continuata observantia demum probabit, ius tale non scriptum in ecclesia obtinere, siue antiquitus expresse institutum, licet non scriptum, siue pacto quodam tacito sensum in idem ab omnibus consensum. Huc etiam collimat Schilter *inpr. iur. Rom. exerc. 2 §. 20.* ubi itidem ostendit, quomodo articuli formandi sint. Id tamen addendum adhuc censeo, probationem quorundam actuum uniformium obseruantiam haud docere, nisi etiam constet, quod publice gesti fuerint, & quidem *ex opinione necessitatis*, quæ vel ex præcedente traditione, vel ex pacto quodam tacito ortum trahere potuit. Nam actus voluntarii & ex libertate mera a paucis gesti & forsan ab aliis ad imitationem tracti non sufficiunt, quo ipso in interrogatoriis sollicitus aduersarius esse debet, ut de qualitatibus actuum quoque fidem faciant. Hinc Schilter *cit. l. lit. G.* addit: *testes enim de ratione scientie deponere debent, utpote quia viderunt ita observari, idque publice præsentibus & scientibus multis personis.*

§. XVIII. Præterea etiam imprimis Dd. desiderant, ut actus sint uniformes & constantes: ex quibus obseruantia probari debeat, atque adeo Schilter *cit. l. §. 21.* existimat, si contrarii actus adduci possint, exinde confici exceptionem *interruptæ obseruantie*. Varia enim rerum obseruantia consuetudinem non probat. Berlich *P. 1. decis. 61. n. 2. & 7.* Verum hoc itidem cum grano salis accipiendum est; sicut enim unus vel alter actus contrarius non statim legem scriptam tollit, ita quoque ius non scriptum, quod semel introductum est, actu contrario non enervatur. Videndum itaque, quomodo actus contrarii comparati sint, an ex circumstantiis possit apparere, illos esse de facto peractos contradicentibus reliquis, vel an aliæ & diversæ circumstantiæ aduerint, quæ diuersam causæ decisionem induxere, & hinc multum arbitrio iudicis hic relinquendum esse, recte fatetur Mev. *P. 4. decis. 3. n. 9.* Sæpe turbido statu ecclesiæ quædam fiunt, quæ potius ad *arbitrium* quam actum contrarium referenda. Quandoque dissension



nes ecclesiarum observantias, quæ hætenus obtinuerunt, interrumpunt, & inde mutationem inducere conantur. Sic postquam schisma illud magnum inter ecclesias orientales & occidentales semel exortum erat, in ritibus quoque sibi invicem controversiam movere ceperunt. Et quidem orientales episcopi imprimis autem Michael Constantinopolitanus episcopus anno 1050. Romanam ecclesiam ob ritus suos & azymum panem in S. cœna adhibitum damnabant, & illos, qui latinæ ecclesiæ adhærebant, ad græca instituta amplectenda cogebant, circa quæ potissimum observantiæ ecclesiasticæ occupari solent, cum tamen Romani liberam in urbe rituum observationem græcis relinquerent. Inde Leo IX. Episcopus Romanus in hæc verba ad Michaellem rescripsit: *ut enim fertur, omnes latinorum basilicas penes vos clausistis, monachis monasteria & Abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte Romana ecclesia quanto discretior, moderatior & clementior vobis est, si quidem cum intra & extra Romam plurima reperiantur græcorum monasteria sue ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur a paterna traditione sue sue consuetudine, quin potius suadetur & admonetur, eam observare, vid. epist. Leon. IX. ad Michaellem cap. 5. & 29. apud Petrum de Marca de concord. sacerdot. & imper. lib. 3. c. 9. §. 2.*

§. XIX. Sed iam transeo ad usum observantiæ ecclesiasticæ, quæ, uti praxis tot seculorum docet, circa totam quidem disciplinam ecclesiasticam occupata est, potissimum autem circa liturgicam ecclesiasticam versatur illaque determinat. Disciplina ecclesiastica potissimum ad regimen externum ecclesiæ pertinet, & ab initio quidem certis legibus scriptis haud circumscripta fuit, sed paulatim ipso usu & praxi invaluit. Olim omnes episcopi erant æquales, paulatim quibusdam ex dignitate civitatum quædam accrevit dignitas & prerogativa, in quam reliqui minorum civitatum sensim ipso facto confenserunt, uti apparet ex c. 6. concil. Nicæni, ubi mores antiqui circa primatum trium eminentissimarum ecclesiarum firmati sunt, quin & aliis quoque, qui in metropolibus ecclesias regebant, eodem modo prærogativa accessit, unde tandem

*Vsus observantiæ ecclesiasticæ potissimum sese exerit circa disciplinam ecclesiasticam.*



dem nata est iurisdictio in ceteros, & ita porro, ita ut fere dicere possis, potiore partem disciplinæ ecclesiasticæ. deberi observantiæ ecclesiasticæ. Quæ enim postea accesserunt in synodis dispositiones de ecclesiastico regimine, magis confirmarunt mores, quam novi quid introducere, & ita ad hanc disciplinam cognoscendam vnice historia ecclesiastica viam sternit. Sed hoc quidem per omnia secula persequi & specialibus demonstrare conclusionibus, nimis prolixum foret, in quo alii supra *cap. 1. §. 21.* laudati occupati fuerunt. In compendio potissima capita disciplinæ ecclesiasticæ ad quoduis seculum refert Ludovicus Ellies du Pin *in bibliobec. aut. eccles.*

§. XX. Dixi vero, potissimum observantiam ecclesiasticam versari circa liturgicam, quæ etiam partem disciplinæ ecclesiasticæ constituit. Primis temporibus sane liturgia erat simplicissima ut utar verbis doctissimi Dn. du Pin. *cit. l. tom. 1. circa liturgi-*  
*p. 349. nulloque alio splendore collucebat, quam morum & vite Christianorum sanctitate.* Multa retinebant Christiani ex more & decoro illius temporis pro libertate. Manuum impositio etiam apud judæos usitatissima erat, & ab Apostolis ex more illius temporis adhibebatur. Io. Clericus *ad cap. XXIX. Exod. vers. 11.* Io. Spener. *de ritual. LL. Hebr. lib. 1. Diss. 1. cap. 2.* ubi plura alia quoque recenset. Osculum pacis orientalibus usitatissimum erat, & hinc quoque inter Christianos retinebatur. vid. Iustin. Martyr. *ap. 2.* Io. Baptista Casalius *de veter. sacr. Christi. rit. p. 3. c. 59.* Per observantiam tamen hic ritus ita moderabatur, ut tempore ieiunii ab eo abstinerent, Gabriel Albaspinæus *de veter. eccles. ritib. lib. 1. obs. 17. & c.* & hinc tanta varietas rituum orta, ut fere singulæ ecclesiæ circa hos dissentirent. Petrus Abbas Cluniacensis *lib. 1. ep. 2.* de hac varietate italoquitur: *Sunt innumerabiles & diversissime diversarum ecclesiarum ad unam catholicam pertinentium consuetudines, ut pene tanta sit varietas usuum, quanta multiplicitas ecclesiarum. Sed non damnat aliquem diversa institutio, quæ & vere fidei inseruit & caritatis compaginem non dissolvit.* Sicut enim singulæ civitates, pagi & collegia suum peculiare de-

Potissimum  
 observantia  
 ecclesiastica  
 occupata est  
 circa liturgi-

co-



corum seruant, ita non mirandum, si singulæ ecclesiæ per observantiam in liturgicis ab aliis differunt.

*Observantia  
nostrarum  
ecclesiarum  
in liturgicis  
variant.*

§. XXI. Idem in nostris quoque ecclesiis observari nemo negabit, cum etiam hic liturgica non ubique lege scripta sed pleraque lege non scripta circumferbantur, quemadmodum etiam ordinationes ecclesiasticæ scriptæ hæc observantiis ecclesiasticis relinquere solent. Alibi exorcismus viget, alibi ignoratur. Non ubique confessio auricularis obtinet, quæ tamen in plerisque aliis locis sancte retinetur. Circa baptismum ritus diversi ubique seruantur, alibi in capite, alibi in pectore infantes aqua tinguntur. Vestis alba antiquissimus ille ritus & Catechumenis proprius, in nonnullis locis in baptismo retinetur, & quis omnes observantias recenseret, quæ cum liberæ & indifferentes sint, retineri possunt. Talia per se superstitionem & vitium non habent, nam superstitio non est affectio rei ipsius, sed hominis observantia illa abutentis. In corde hominis superstitio regnat, ibi quærenda, ibi quoque expungenda est, neque illam minime suppresseris, si vel maxime ritus sustuleris, cum radix superstitutionis eo ipso ex cordibus hominum non euellatur, qua non evulsa, etiam postea necessariæ partes cultus divini in superstitutionem trahuntur.

*Observantia  
circa liturgi-  
ca sunt vel u-  
niversales  
vel particu-  
lares.*

§. XXII. Ceterum observantiæ eiusmodi ecclesiasticæ circa liturgica sunt vel universales vel particulares. Hæc singulis ecclesiis propriæ, & potiore partem constituunt, illæ ubique fere ab antiquissimis temporibus vigere, & quia in plerisque ecclesiis obtinuerunt, ab Apostolis per traditionem promanasse creduntur, sed plerumque absque fundamento. Ritus huiusmodi, qui per observantiam universalem vigent, refert Ioach. Hildebrandus *diff. de ritibus sacris* §. 17. Sed quæcunque demum observantiæ vigeant in ecclesiis, subjacent tamen legi principis, qui illas tollere & mutare potest, nisi specialis conventio cum subditis obtinet.

*An observan-  
tia ecclesia-  
stica univer-*

§. XXIII. Differentiam tamen utriusque observantiæ vulgo in eo quærent, quod particularis quidem tolli possit sed non facile Oecumenica. Sic enim Hildebrandus *cit. l.* ait:



ait: *præter ritus universales per ecclesias omnes recepti sancte retine-  
ri, nec ab ulla particulari ecclesia abrogari temere debent.* Hoc sales a prin-  
posito, ægre fert, quod reformati exorcismum ab ecclesia cipe tolli possi-  
semper & ubique observatum sustulerint. Illud ipsum quo sint secun-  
que exprôbat in Puritanis ecclesiarum Anglicarum, quod dum senten-  
festa œcumenica, natalem Dômini, patcha, pentecosten & *tiam om-*  
ceteros ritus ab omni, quæ sub cœlo est, ecclesia per tot an- *munem?*  
norum centurias frequentatos de sacris suis eliminaverint nec  
fere ullos, nisi in sacris literis expressos ritus, admittere volue-  
runt. Admittit tamen horum abrogationem in §. seq. ex  
communi sive tacito sive expresso totius ecclesiæ consensu  
& ita concludit: *Sicuti in civili republica is penes quem est po-*  
*restas ferendum legum ius easdem pro re nata antiquandi habet,*  
*sic in ecclesia communi consensu ritus œcumenici condi iterumque tol-*  
*li possunt.*

§. XXIV. Apparet virum alias in antiquitate ecclesiasti- *Examinatur*  
ca versatissimum fere huc collimare, vt in ecclesiam rémpu- *Hildebrandi*  
blicam quandam introducat, sibi que præterea ecclesiam quan- *sententia civi-*  
dam uniuersalem externam fingat, quæ maiorem potesta- *ca hanc qua-*  
tem habeat, quam singulæ ecclesiæ in quovis territorio, quo *sionem.*  
ipso fere systema plurium rerum publicarum, si non verbis  
tamen re ipsa conficere videtur. Ast vero ita multa sup-  
posita falsa sunt. Erroneum enim est, quod ecclesia  
sit species reipublicæ, sicut quoque erroneum est, quod  
plures ecclesiæ unius religionis vnâ ecclesiam externam  
constituant, & si vel maxime inter se consentiant, & in unio-  
ne quadam consistant, non tamen ecclesiarum reliquarum  
interest, quibus ritibus hæc vel illa ecclesia utatur, quorum  
diuersitas unionem ecclesiarum tollere nequit, uti antiqui-  
tus prudenter iudicatum fuit. Si dicis, atque tamen olim  
tota ecclesia in ritus tales consensit, & illos recepit. Re-  
spondeo, ambiguum esse, quid per *totam ecclesiam* intelliga-  
tur. Si enim illud, quicquid patres in antiquis conciliis con-  
cluserunt, quæro ante omnia, quomodo possunt ecclesias  
protestantium ad illa instituta alligare, quas tamen ab uni-  
uersali ecclesia separarunt. Aut enim institutis antiquis ec-  
clesiæ Catholicæ se obligatas credunt, aut non. Priori casu



se non separare ab illo cœtu debuissent, posteriori autem universalis consensus ecclesiæ in abrogandis ritibus non erit necessarius. Et deinde quando universalis ecclesiæ consensus est necessarius, non excludendus quoque erit consensus ecclesiæ Catholicæ, a quo potissimum ad nos derivati ritus universales sunt. Cur vero primi reformatores, invita illa & graviter reluctante ecclesia, tot ritus & economicos sustulerunt? Missa fere tempore concilii Nicæni iam invaluerat, & cum ita cum ecclesia illius temporis conspirare velint, quomodo se excusabunt, quod Missam in totum sustulerint, invita ecclesia communi.

*Examinatur  
exceptio Hil-  
debrandi  
circa hanc  
doctrinam.*

§. XXV. Equidem pergit Hildebrandus & vrget in §. 19. quod particulari ecclesiæ ius abrogandi ritus universales competat, si corruptelis, abusibus & superstitionibus infecti sint, quæ ratio forsan ad Missarum solennia potest applicari. Sic ergo aliquando obligatur ritibus universalibus, aliquando non, & consequenter pro lubitu ius ritus mutandi particulari ecclesiæ adscribi potest, quod demonstrabo. Thesis est hæc: Ritus universales ecclesiæ non possunt mutari absque ecclesiæ communi consensu. Exceptio est: *nisi sint supersticiosi.* Si iam ecclesia quædam particularis etiam inter Protestantas a ritibus decedere vellet, habet intentionem fundatam etiam contra reliquas ecclesias inter Evangelicos, allegando, hanc vel illam observantiam universalem esse supersticiosam. Si dicis: non sufficit dicere esse supersticiosam sed etiam probari debet. Respondeo, id quidem omnino fieri debet, & facile quædam supersticio ostendi potest. Si pergis, illam tamen dissentientes reliquas ecclesias non concedere, eiusque superstitionem esse dubiam, donec omnes de ea consentiant, tunc urgeo, idem potuisse pontificii nostris regerere, cum illi recederent ab eorum sacris. Aiebant nostrates, observantias has vel illas esse supersticiosas, pontificii negabant & adhuc negant. Ergo itidem dum adhuc ea de re disputatur, res ex tali hypothese erit dubia. Neque enim hic adest iudex, qui decisionem aliquam faciat. Assumamus in exemplum exorcismum, quem Hildebrandus *circa disp. §. 17.* dicit esse ritum ab antiqua ecclesia semper &





& ubique usurpatum & observatum. Pontificii in hoc ritu nullam agnoscunt superstitionem, nec nostrates, si de potiori parte sermo est, reformati contra supersticiosum ritum esse dicunt, & ideo, non obstante observantia universalis, sustulerunt. Num ergo, dum illum supersticiosum esse credunt insolens infania, iudice Hildebrando, illis imputari potest, quod illum sustulerint? Eodem certe iure Pontificii nostratibus insolentem infaniam imputare possent, quod nos ab eorum sacris recesserimus, quæ illi ab omni superstitione libera esse aiunt, licet nos contrarium adstruamus. Quo iure itaque ritus universales, quos supersticiosos credimus, derelinquimus, eodem iure reformati quoque, quos illi supersticiosos credunt, respuerè potuerunt, neque enim cogi potuere, ut iurarent in verba nostratium, sicut nostrates iurare noluere in verba Pontificiorum, Quod quisque iuris in alterum statuerit, eo quoque iure ipse uti debet.

§. XXVI. Si ulterius exemplum ritus universalis exorcismi, quod Hildebrandus tantopere urget, examinare vellemus, certe dubia ubique sese sifterent. Facile enim ostendi posset, ritum illum exorcismi, prout hodie habetur, esse quidem antiquum, sed tamen in ecclesia corrupta natum, ubi ex dono extraordinario ceremoniale quoddam ecclesiasticum fecerunt. Neque etiam in nostris ecclesiis ubique hic ritus retentus est, uti experientia docet, quomodo ergo illas ecclesias excusabimus? Civitatem Argentoratensem hunc ritum diu sustulisse, satis notum, sicuti etiam Ecclesie Lutherane in Belgio huic ritui iam dudum nuncium miserunt, uti notat Dn. Stryk in not. ad Brunn. jus eccles. lib. 1. cap. 6. m. 3. §. 3. verb. remoto scandalo, quod in Belgio factum sit non conventionem mutua omnium illic loci ecclesiarum, sed cujusque particularis ecclesie arbitrio Et denique subjungit: Sane peccant, qui nihil circa hanc ceremoniam (exorcismi quem, tamen ritum universalem credit Hildebrandus) potestati principis relinquunt. De re ipsa autem, de qua hic agitur in precedentibus, ibidem

*Contrarium  
ulterius ostenditur per  
exemplum  
exorcismi ritui  
antiquissimis  
& universalibus.*





ita iudicat, *consensum quidem hic requirunt totius ecclesie sed cum illa conditio fere impossibilis sit futura, alii consensum ecclesiarum omnium illius provincie exigunt.* D. Musæus *diff. de exorcismo th. ult. quod omnino tranquillitati alicujus provincie consultius existimo, quam si particularis quedam civitas circa ceremonias quid statuerit. Non tamen video, si principis consensu civitas certam aliam formulam substitueret, quare hoc penitus damnandum?* plenius autem se explicuit in notis MS. *cit. l. asserens: Nostrates communitet consensum totius ecclesie urgent, si circa ceremonias quid mutandum. Verum hic prius inquirendum foret, an unquam ecclesia Lutherana conventionem aliquam se obligaverit ad certas ceremonias, annon vero potius quisque principum per sua consistoria ceremonias ordinaverit? Quod si verum est, uti omnino est, cur non quisque principum ceremonias iterum mutare & ad majorem ecclesie utilitatem dirigere posset? Sed addamus de hoc eodem exemplo ritus universalis iudicium Casparis Ziegleri Tr. de jur. Majest. lib. 1. cap. 17. §. 1. ubi sicuti in genere jus disponendi circa liturgica principi adscribit, ita quoque idem iudicium fert de ritibus universalibus. Ita vero ille: Quomodo vero in ceteris ad externum ordinem decorum & disciplinam facientibus ecclesia gubernari debeat, cum distincte non prescripserit Deus, sed suorum prudentie commiserit, dubitari non debet, Reges & Principes fideles, utpote Ecclesie nutritos & patronos magnam in iis habere potestatem. Ita usus luminum, candidæ aut alterius vestis in peragendis sacris, signi crucis, EXORCISMI & SIMILIVM totus subjacet arbitrio humano, quanquam ubi inueterata fuerint ejusmodi ceremonie, non facile ille sint mutandæ. Dn. Carpzou. Jurispr. Eccles. lib. 2. Def. 246. Vbi tamen justa causa subest,*




*Et necessitas status ecclesiastici id exposcit, poterunt ille introduci aut abrogari, ex potestate principis & summo, quod tenet, imperio.*

§. XXVII. Sed etiam plura alia exempla observantiarum universalium adduci possunt, quæ licet jam abrogata sint, non tamen ostendi potest, communi consensu omnium ecclesiarum hoc factum ab initio fuisse, sed potius singulas ecclesias libertatem hac in re sibi asseruisse, haud respicientes ad consensum aliarum ecclesiarum. Subiit ipse Hildebrandus hoc dubium atque præoccupare voluit, sed haud potuit. Erat olim ad liturgiam universalem referendum, quod die dominica Christiani adorarent de geniculis, seu genua flecterent, sed potius stantes adorarent, & cum hoc ipsum non ubique observaretur in Concilio Nicæno *can. ult.* hoc ipsum de nouo confirmatum est. At de hoc more ipse Hildebrandus *cir. l. §. 13.* ait: *post secuta ecclesia si non omnes saltem pleræque ex plenitudine potestatis abrogarunt.* Ast vero haud exprimit modum abrogationis, neque constat talem abrogationem communi consensu ecclesiarum factam fuisse, imo plerasque saltim non omnes hunc ritum abrogasse fatetur, atque adeo valde obscurum est, quid per plenitudinem potestatis intelligat, ex qua ab hoc more pleræque ecclesie recesserint. Si libertatem ecclesiis singulis propriam, utique communis totius ecclesie consensus non est necessarius; si vero ius quoddam *eximium*, quod omnibus ecclesiis particularibus conjunctim consideratis adscribendum, ostendendum erat, ecclesias quoque conjunctim hoc ius circa abrogationem huius ritus exercuisse. Si dicis, tacitum plerarumque ecclesiarum consensum hic considerandum esse, rehero, haud constare, unde tacitus hic consensus sit colligendus? quælibet ecclesia particularis ab initio sine dubio ab illo ritu, inconsultis reliquis, recessit, & dum idem reliquæ quoque fecerunt, utique apparet, singulas hac in re suo iure egisse, aut vero primas peccasse, quod inconsultis reliquis ab hac observantia recesserint. Ritus chrismatis est antiquissimus & universalis maxime circa baptismum, Ter-

*Aliis exemplis observantiarum universalium abrogatarum id declaratur.*



cull. de baptismo c. 7. p. 226. quo ipso Christiani indigitabant, se esse debere veros Christianos seu *antōs spiritu sancto*, & hunc morem Græci & Latini in hunc usque diem sancte servant. Posita nunc hypothefi Hildebrandina, Protestantes inique fecissent, quod hunc morem privato ausu, reclamantibus Catholicis, sustulissent, in quo ipsi nullam plane agnouerunt superstitionem vel abusum, ex qua ratione potissimum particularibus ecclesiis ius abrogandi ritus universales concedit. Equidem Hildebrandus *cit. l. §. 209* rationem tollendæ huius consuetudinis hanc fuisse existimat *quod periculum fuerit, ne præsertim sub initium Reformationis homines simplices nondum plene de differentia rituum sacramentalium & ecclesiasticorum instructi chrisma baptismo anteponerent.* Sed si ratio hæc aliquid valeret, *α*) etiam exorcismus eliminari debuisset, & quidem adhuc maiori ratione, quo magis imperitorum animos in errorem deducere solet, ut credant, baptismum haud esse efficacem, si exorcismus non accesserit, imo *β*) hac ratione omnibus ecclesiis particularibus conceditur per indirectum facultas recedendi a ritibus universalibus, quoniam ritus innocentissimi a plerisque in abusum trahuntur, ut liturgiam externam vero cultui interno anteponant. Et ob hanc rationem reformatæ ecclesiæ recesserunt a tot aliis ritibus apud nos adhuc usitatis, quod iure suo facere potuere, si hanc rationem in subsidium sumimus. Cum itaque nunquam soleamus ab antiquo more absque fontica causa recedere, & hæc cum adest, ex mente Hildebrandi talis recessio haud improbari possit, concludo, posse omnino singulas ecclesias a moribus universalibus recedere. Hoc posito Principi quoque permillum erit disponere circa ritus, qui vel in conciliis œcumenicis confirmati sunt, vel alias universaliter, per observantiam constantem, hætenus obtinuerunt. Alias ex hætenus dictis eruere conclusiones superfedeo, quarum alias maxima seges superesset, si non metuendum foret, ne iustæ disputationis limites transgrederer, adeoque nunc quidem hic est subsistendum.





SYLLABUS.  
OMNIUM SCRIPTORUM.  
A PRÆSIDE HUIUS DISSERTATIONIS EDI-  
TORUM.

(I) TRACTATUS.

**T**ractatus ecclesiasticus *de iure Parochiali*, Halæ anno 1701. editus, cui *partem secundam* V. D. Autor addere constituit.

Succincta Manu ductio ad methodum disputandi & conscribendi disputationes iuridicas. Halæ anno 1703.

Introductio ad ius digestorum. Halæ. anno 1704.

Petrus de Marca *de concordia sacerdotii & imperii* cum observationibus ecclesiasticis. Lipsiæ & Francofurti 1708.

Introductio in ius publicum uniuersale. Halæ 1710.

Succincta delineatio doctrinarum usu frequentium de actionibus, gradibus matrimonialibus, & successione ab intestato Halæ 1710.

Dissertationes iuris ecclesiastici antiqui ad Plinium secundum & Tertullianum Lipsiæ 1711. Cuius partem alteram autor meditatatur.

(II) DISPUTATIONES.

De imputatione culpæ propriæ Jenæ 1705. sub præsidio Ill. DN. Wildvogelii habita.

De iure epistalmatis von Fürst. Ordre Halæ sub præsid. Ill. Dn. Sam. Strykii pro gradu habita

De testamento non prælecto, Respond. Laurentio Vinne *Haga-Schaunburgico*

De contractu non prælecto, Resp. Carolo Ludolpho von Hammerstein *Equitæ Westphalo*

De scripturis legibilibus von unleserl. Schrifften Respond. Io. Melchiore von dem Busch *Equ. Westph.*

De interpretatione facienda contra eum qui clarius loqui debuisset Resp. Catolo Andrea Kersten. *Magdeb.*

De iustitia actionum iniuriarum, Resp. Gilli Rodenberg *Hamb.*

De fundamentis genuinis iuris parochialis Resp. Gustavo Borehyvedel *Dargunens-Magop.* De




- De Nexu Parochorum & Parochianorum Resp. Frid, Augu-  
sto Hohndorff, *Saxo Hall.*
- De iure Parochiali circa administrationem sacrorum Resp.  
Frid. Eberhardo Lehman *Berol. March.*
- De bonis parochialibus von Pfar. Gütern Resp. Antonio  
Henrico Horst, *Ravensberg.*
- De Administratoribus bonorum ecclesiasticorum von Kir-  
chen Vorstehern Respond. Gabrieli David. Claio Halberstad
- De collisione præsumtionum Respond. Friderico Guilielmo  
S. rodt Hall, Magd.
- De Collisione probationum Respond. Christoph. Friderico,  
Kochi, *Sangerb. Thur.*
- De renovatione vocationis resignatæ Resp. Joanne Chri-  
stoph. Vultpio, *Vinariens.*
- Prodiit hæc quoque Hamburgi, in vernaculam translata sub  
tit: Die Frage von renouation der niedergelegten vocation  
ob selbige Gütlich und mit guten Gewissen könne abgefertiget  
und angenommen werden.
- De iniustitia vocationis factæ ad clamorem populi Resp.  
Hermanno Matth. Rademacher, *Hamb.*
- De translatione domini in contractu æstimatorio Resp. Da-  
niele Raue *Havelberg.*
- De iuribus capituli sede impedita. Resp. Iusto Christoph,  
Willerding Hildes.
- De Codicillis absque testibus validis Resp. Georgio Frider,  
Hulsemann, *Darmstadt Hall.*
- De observantia ecclesiastica Resp. Joanne Matthæo Deth-  
loff, *Rostoch. Mecklenb.*
- De eo quod iustum est circa luctum publicum Resp. Georg.  
Henrico Loehman, *Hall.*
- De eo quod iustum est, durante iusticio Resp. Carolo a Wolde *Equ, Pomeran.*
- De iure precum publicarum. Resp. Friderico a Sallern *Holsat.*
- De cauta Judæorum tolerantia Resp. Io. And. Baitineller *Hala Magdeb.*
- De Prudentia legislatoria Lubecensium in materia de success. testamen-  
tar Resp. Zachar. Ernest. Grote, *Holsat, Ploemens.*
- De dominio litis, Resp. Georg Theoph. Harrer, *Rarisch.*
- De discrimine tempestatis marinæ von See-Schaden Resp. Henrico  
Kellinghusen.
- De præscriptione annuorum reddituum realium Resp. Jo. Gabriele Hack  
*Nordling.*




















00 A 6382

ULB Halle

3

002 916 541




SR


Kont. Kont.











Farbkarte #13

B.I.G.

I. N. I.  
TATIO IVRIDICA  
DE

ERVAN-  
ECCLESIA-  
STICA,

QVAM  
T. O. M. ADVENTE,  
MAGNIFICENTISSIMO,  
IO PRINCIPE AC DOMINO,  
IPPO WILHELMO,  
SIAE, MARCHIONE BRANDENBUR-  
GICVS MAGDEBURGICI GVBER-  
NATORIS, ET RELIQVA,  
ACADEMIA FRIDERIGIANA,  
PRAESIDE  
ENNINGO *Söhmer* D.  
FACVLT. IVRID. ASSESSORE,  
17. Octobr. MDCCVII.  
VDITORIO MAIORI  
eruditorum examini submittit  
MATHAEVS DETHLOFF,  
Rostoch. Mecklenburg.  
Secunda editio correctior.  
LE MAGDEBURGICAE,  
ANNIS GRVNERI. Acad. Typogr.

